

4551

1

QUÆSTIONES  
POLEMICÆ  
DOCTRINAM CATHOLICORUM,  
Et  
ERRORES HÆRETICORUM

Circa Membra, Visibilitatem, & Infallibilitatem  
Ecclesiæ Compendiose exhibentes.

Quibus annectuntur

Theses è Schola Doctoris Angelici in Ecclesia Aulico-Cæsarea  
FF. EREMITARUM DISCALC. S. P. AUGUSTINI

V I E N N Æ A U S T R I Æ

P R O P U G N A T Æ

D I E M E N S E A N N O 1761.

P R Æ S I D E


P. MELCHIORE à S. P. AUGUSTINO,

SS. Theologiæ Lectore Ordinario,

D E F E N D E N T I B U S

P. LIBERATO à S. M. Anna, & P. RAPHAELE à S. Luca,

Ejusdem Ordinis.



VIENNÆ AUSTRIÆ, TYPIS GHELENIANIS.

QUESTIONES

POLLEMICAE

CTRIAM CATHOLICORUM

ET

ERRORES HARETICORUM

in Membris, Virginitatem, & Infallibilitatem

Eccliesie Communiis existentes.

Quibus annexa sunt

et doctrinalis Doctoris Anglicani in Ecclesia Austro-Carolus

PREMIATUM DISCALI S. P. AUGUSTINI

V I E N N E A E A P U S T I A E

T R O P U O N A T E

DIE MENSE ANNO 1751

P R A E F A T I O

MELCHIORE S. P. AUGUSTINO,

ss. Theologiae Magistro Ordinario

D E F E N D E N T I B U S

BERATO S. M. ABBATIS & P. RABANUS S. LUCAE

Facultatis Ordinarius

IN=030006693

in Ecclesia Austro-Carolus

VIENNAE AUSTRIAE, TYPIS GHELLENIANIS.

ADMODUM REVERENDO EXIMIO

IN CHRISTO OBSERVANDISSIMO PATRI

P. HERMANNO JOSEPHO

à S. HILARIO

SACER. ORDINIS FF. EREMIT. DISCALC.

S. P. AUGUSTINI

PER PROVINCIAM BOHEMO-GERMANICAM

PRIORI PROVINCIALI ACTUALI

VIGILANTISSIMO

SS. Theologiæ, & SS. Canonum Lectori emerito,

Nec non

Genuino Angelici Doctoris Discipulo, & multo-  
rum Discipulorum Magistro Virtutibus non minus,  
quàm scientiis instructissimo

V I R O

*Suis Titulis dignissimo*

In perpetuæ venerationis memnosynon isthic quæstionum  
Polemicarum, & Thesium Theologicarum fasciculus dedicatur,  
consecratur, offertur.

# PROLOQUIUM

LECTOR BENEVOLE!

**F**olia, quæ tibi porrigo, index sunt laboris ab obedientia sacra humeris meis impositi. Leges in eis Quæstiones Polemicas tres, hac conditione exaratas, ut tractu temporis accessione plurimum capiant incrementum; & quamquam stylo curto deductæ exhibeantur, arma nihilominus suppeditant talia, quæ acuminibus luxuriantium ingeniorum hebetandis sint idonea, & ad errores Hæreticorum, quæ Ecclesiæ Orthodoxæ fulgorem obnubilare nituntur, debellandos sufficientia.

Quod componendi methodum concernit, scias velim, me meditatatum fuisse brevitatem, ita: ut ubique conformitas reluceret cum Theologis Polemicis, illis præsertim nominatissimis Authoribus, quos ceu ductores præ manibus, oculisque habui. Mutuavi modo ex his, modo ex aliis de hac materia scribentibus, non solum rem, sed & persæpe ipsa verba, utpote optimè perspectum habens, quod non omnia, quæ ex nobis ipsis fiunt, hoc ipso confestim sint meliora; id enim si verum foret, semper aranearum tela superarent apicularum opera. De reliquo, ut paucis multa complectar, cum Poëta ingenue fateor: Omnia non mea sunt, non omnia sunt aliena; sunt mea mixta aliis, sunt aliena meis. Addidi quippe argumentis aliorum etiam de meo; at cum grano salis. Et hoc: ne aquam de se pellucidam ex adjectione superfluatorum facerem turbidam. Nec propterea me reprehensione dignum existimo; quemadmodum nec is censura vexatur, qui aut lumen mutuat ex cereo alterius accenso, aut flosculum ex horto alieno transplantat in suum. Ecce! ex ore meo plus quàm necessum sit, me iudico, & vel ideo me ab omni dente invidio, qui folia mea rodere posset, securum, ac immunem futurum puto. Cura proin Lector benevole! ne folia mea sint, sicut folium, quod vento rapitur.



# ORTHODOXORUM ET HETERO DOXORUM MENS.

*De Ecclesia universa.*

Quæstio Prima.

*Quinam sint vera membra Ecclesiæ Christi veræ?*

**C**UM character, & signaculum, quo oves Christi agnoscuntur, potissime peti debeat ex Idea, & notione Ecclesiæ, idcirco sciendum: hoc nomen derivari ab Ἐκκαλέω, quod Latinis *evoco*, aut si mavis, ab Ἐκκλησία, quod idem, ac *evocatio, concio, vel coetus* sonat.

Scopum attingit S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 18. ubi inquit: *Apte Ecclesia vocatur; quasi dicas convocatio, propter con- vocationem.* Ecclesia igitur, quamquam res diversas indicare possit, communi tamen scripturarum consuetudine ad solam Rempublicam Christianam, universamque fidelium congregationem significandam usurpatur, eorum nempe, qui ad lumen veritatis intimo Spiritus Sancti afflatu vocati, DEum Tri - unum, pulsas errorum tenebris pie colunt, & sub regimine vivunt Pastoris supremi. Hoc posito

Ecclesiam (ut sonat exercitum Christi in utroque mundi he- misphærio diffusum) Catholicorum scholæ in hunc modum defi- niunt: *Est Coetus hominum ejusdem fidei professione, eorundemque Sacramentorum communionem colligatus, sub regimine legitimorum Pa- storum,*

storum, ac præcipue unius in terris Christi Vicarii, Romani Pontificis.

In idem redeunt & aliæ definitiones tum Patrum, tum Theologorum, uno omnes labio, ac laconismo sibi amicissimo Ecclesiam universalem aut *congregationem vocatorum*, aut *coetum fidelium*, aut *collectionem populi Christiani* nuncupantium; ea enim, quæ in his loquendi formulis desiderari videntur, clam sunt subintelligenda. Ita sentiunt Catholici omnes.

A catholici vero tenent oppositum, abeuntque non modo in diversas, sed & adulterinas descriptiones. Lutherus quippe, ut habet confessio Augustana art. 7. vocat Ecclesiam *congregationem Sanctorum*. Calvinus cum suis, teste Bucero lib. 1. c. 5. de regno Christi, appellat eam, *societatem justorum Prædestinatorum*.

Alii denique alias in cathedra pestilentiæ cudunt, cufasque vendunt Ecclesiæ definitiones. Ast mali corvi, malum ovum. Quis enim non videt, ex his manifeste inferri, Ecclesiam fore vel penitus *invisibilem*, vel in duas, *internam & externam* debere secari, ita, ut una solos sanctos, justos, & prædestinatos *invisibiliter*; altera solos malos & reprobos *visibiliter* gremio suo complectatur, cum asserant: malos esse *in Ecclesia, non de Ecclesia*. Habent igitur (inquit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 5.) *Ecclesias Hæretici, sed suas tam pestiferas, quam adulteras; quarum si sensum requiras, facilius apostaticum invenies, quam Apostolicum. Faciunt & favos vespæ. Faciunt Ecclesias & Marcionistæ. Addo: & Lutherani, & Calvinistæ. Quam vero ruinosa sint istarum chimericarum Ecclesiarum fundamenta, patebit ex dicendis. Nunc ut certa ab incertis separentur.*

Præmitto 1. De syllabo membrorum Ecclesiæ expungi Ethnicos omnes, Judæos, Turcas, & quicumque hujusce modi furfuri admiscuntur; deinde Hæreticos manifestos, & schismaticos *non pure tales*, seu habentes errorem in fide cum pertinacia. Ratio assertorum est: quia Ethnici in Ecclesiam per baptismi januam nunquam intrarunt. Hæretici vero aperti, & Schismatici *non puri* dicuntur exulare, excludique a populi Christiani consortio, quia se ipsos *peccato infidelitatis* ab Ecclesia scindunt. Unde S. P. August. Lib. de vera Religione c. 5. ait, neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schismaticorum,

corum, neque in cæcitate Judæorum quærenda est Religio, sed apud eos solos, qui Christiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur.

Præmitto 2. Etiam Hæreticos *occultos* absolute loquendo non esse de Ecclesia, tanquam hujus membra. Ita Tannerus, plurimos pro hac sententia allegans Auctores, potestque suaderi inde: quod careant *fide interna*, quæ tamen forma est *essentialis*, ac vinculum membra Christi inter sese, ac cum capite visibili colligans. Ratio altera accedit quia peccatum infidelitatis *internæ* non minus, quam *externæ* scindit ab Ecclesia. Nec obstat, quod aliqui Patres videantur contrarium docere; nam solum volunt Hæreticos *occultos* esse in Ecclesia *apparenter*, non realiter, sicut eburneus dens est in gingiva. Unde D. P. August. *lib. 1. contra Epist. Parmeniani c. 7.* inquit: eos *esse tantum dealbatos Christiano nomine*. Dicendum nihilominus, quod similes hypocritæ, si forent Episcopi, aut etiam summus Pontifex, retineant jurisdictionem Ecclesiasticam, sicut & excommunicati, quamdiu manent *occulti*. Ita declaravit concilium Constantiense.

Præmitto 3. Catechumenos, seu animo credentes, nondum tamen baptismo ablutos, probabilius contineri intra septa Ecclesiæ ut membra, saltem voto, ac desiderio, quo parati sunt sequi Agnum, & Agni Sponsam (Ecclesiam) quocumque ierit. Suffragatur etiam ratio: quia scilicet in tali statu vitam degunt, in quo urgente necessitate mortis, per solam contritionem salvari possunt, non minus, quàm gloriosi Martyres pro fide Christi ante Baptismum occumbentes. Existunt. Igitur in Ecclesiæ *vestibulo*, licet nondum per baptismi januam in eandem *perfecte* intrarint. Huic sententiæ etiam adstipulatur Magnus P. Aug. *Tract. 4. in Joan.* ubi Catechumenos apertè matriculæ fidelium inserit. Et Innocentius P. *c. 2. de Presbytero non baptizato* sic discurret: *non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti aliquis efficitur membrum Christi.*

Denique non video *Κριτήριον*, quod huic thesi obstaret; nam sicut fœtus humani intra uteri materni claustra existentes, & anima præditi, sunt homines, licet non adhuc nati, ità Catechumeni fide & spe imbuti, credentium sunt germina, quamquam necdum ex aqua & Spiritu Sancto renati.

Præmitto 4. Excommunicatos *Fideles*, non obstante eorum excommunicatione manere in Ecclesia; & hoc propter fidem in. & eternam. Ratio est 1. quia hujusmodi omnes ad salutis portum solo fidei, ac contritionis vehiculo transfretare possunt, dum v. g. universæ carnis viam inire debent, & copiam non habent Sacerdotis, ipsos a vinculo excommunicationis solventis. Ratio est 2. quia excommunicatio est quædam *medicina spiritualis*, quæ utique non nisi in utilitatem *domesticorum fidei* adhibetur, quatenus curentur a languoribus suis. Id ipsum confirmat S. P. August. *lib. contra Donatistas post collat. c. 20.* dicens: *Neque enim a populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendo locum redigimus.* Manent proinde membris Ecclesiæ uniti per consensum fidei, licet eorum commercio sint privati, habentque se perinde, ac civis carceri mancipatus, qui, etsi concivium suorum familiaritate videtur, manet nihilominus civis, & in civitate, intra quam est carcer.

Idem sentiendum de Schismaticis *pure acceptis*, qui scilicet præcise nolunt obedire Romano Pontifici; credunt quippe dari summum Pontificatum. At non sunt rebelles omnino, & *pertinaciter*, eo, quod ipsis sufficienter non constet, hunc vel illum esse legitime electum Papam.

His præmissis sequuntur aliqua notatu digna, quæ dicendis non modicam afferent lucem pro dilutione Argumentorum infra ponendorum.

Advertendum igitur I. Solum Baptismum absque *interna fide* non sufficere ad constituendum membrum Ecclesiæ; quia alioquin Hæretici ad gremium matris Ecclesiæ pertinerent, Catechumeni vice versa ab eo excluderentur. Quod est contra ea, quæ supra dicebamus.

Advertendum II. Fidem internam esse formam *essentialem* constituentem membra corporis Christi mystici, quod est Ecclesia; secundum illud *Ephes. 1. v. 22.* *Ipsum (Christum) dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Nec obest, quod Apostolus ad *Ephes. 4. v. 16.* solam charitatem pro anima hujus corporis assignet; vitæ quippe spiritualis triplex gradus datur; primus est: *Charitatis & gratiæ*, quo meliores quique diriguntur. Secundus *timor gehennæ*, quo plures a vitiorum semita avocantur. Tertius *fidei, & confidentiæ*, quo non pauci in Deum credunt, & confidunt, etsi cæteroquin a perversis vitæ moribus minime absterreantur. Et hic gradus



us vitæ, ut ut sit infimus, aliunde provenire non potest, quam a Spiritu Sancto.

Advertendum III. Duo in Ecclesia attendi posse: unum *interius*, quod quidam vocant *animam Ecclesiæ*, & est fides, qua membra inter se se, & cum capite spirituali unione veluti conglutinantur. Aliud *exteriorius*, quod vocant *Corpus Ecclesiæ*; & est societas visibilis eorum, qui publica ejusdem fidei professione, eorundemque Sacramentorum. ac Pastorum communione copulantur, connectuntur, junguntur.

Advertendum IV. Posse aliquem dici *vere Filium Dei*, aut membrum Corporis Christi duobus modis: nimirum veritate *essentiæ*, seu formæ; & veritate *finis*. Veritate *essentiæ* est Filius Dei, qui habet fidem internam, vel etiam charitatem, juxta illud 1. *Joan.* 4. *Omnis, qui diligit (aut credit) ex Deo natus est.* Veritate *finis* dicitur Filius Dei, qui hæreditatem assequetur; & qui eam non consequetur, videtur filius, sed non est (puta *permanenter*, & quoad gloriam) finis quippe filiationis est hæreditas, conformiter ad illud *Galat.* 4. *Quod si filius, & hæres per Deum.*

Advertendum ultimo. Ecclesiam in Beatis dici *Triumphantem*. In animabus Purgatorii *Patientem*. In viatoribus *Militantem*. Non, quod sint diversæ Ecclesiæ, sed diversæ partes, seu diversi status ejusdem Ecclesiæ. Jam, ne longior sim.

Dico: *Nec soli prædestinati, nec soli boni & justi, sed etiam peccatores manifesti, & reprobi vera membra sunt Ecclesiæ veræ, modo non habeant peccatum infidelitatis.* Est de fide contra Lutherum, Calvinum, & hæresum cutores omnes.

Argumenta pro stabilienda assertione hac depromuntur e monumentis scripturarum, ubi Ecclesiam variis figuris adumbratam licet intueri. Itaque imprimis comparatur Ecclesia militans *Arce*, in qua est triticum, & paleæ, comburendæ igni inextinguibili. *Matth.* 3. Deinde *Sagenæ* missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti; quorum aliqui mittuntur in caminum ignis. *Matth.* 13. Iterum *Convivio* nuptiali, ad quod intravit non indutus veste nuptiali, projectus idcirco in tenebras exteriores. *Matth.* 22. Et demum *decem virginibus*, quarum quinque fatuæ eliminantur a communi epithalamii jucunditate, eo quod non haberent oleum secum. *Matth.* 25. Esse vero in locis citatis comparationem cum

*Ecclesia militante, omnium est explicatio. Et tamen paleæ, mali pisces, non indutus veste nuptiali, Virgines fatuæ, nequeunt accenseri prædestinatis, cum damnentur. Ergo. Porro Ecclesia ejusdem Evangelistæ calamo nomine Ovilis exprimitur, utique ovæ ac hædos complectentis. Quid vero illæ, & illi? Christo interprete illinc electi, hinc reprobi denotantur. Ergo palam fit: Ecclesiam non modo e consortio Prædestinatorum verum etiam reproborum, & damnandorum syzygia constare.*

Quapropter Veritas ait: *multi vocati, pauci electi.* Id est: multi existunt in Ecclesia, multi sunt membra Ecclesiæ, quæ est evocatio seu cætus vocatorum, quin tamen sint de numero electorum, & prædestinatorum. Exempla exstant in Saulo persecutore, & Juda proditore.

Ostenditur assertio 2. Christus aperte dicit: *si peccaverit in te frater tuus vade, corripe eum &c. si te non audierit, dic Ecclesiæ.* Matth. 18. Hic loci loquitur indubie de vera Ecclesia, in qua constat inveniri peccatores; & tales, qui sæpe non emendantur per correptionem fraternam. Item Matth. 23. Dominus præcipit de *Præpositis malis*, ut faciamus, quod dicunt, non autem quod faciunt. Præterea *infructuosa ficus* expectatur in agro Dominico (Ecclesia) ut fructum ferat, Luc. 13. Rursum Paulus agnoscit Corinthiorum Ecclesiam, ubi erant fornicarii, contentiosi & superbi. Agnoscit Thessalonicensium, in qua reperiebantur *inordinate* viventes. Joannes etiam scribit septem Ecclesiis Asiæ, & tamen singulas reprehendit de rebus non levibus. Apoc. 2. & 3. Ergo dicendum: non *solos bonos & justos*, sed etiam *malos & injustos*, imo gravissimos, eosque manifestos peccatores esse membra Ecclesiæ, si peccato infidelitatis non sint commaculati.

Probatur 3. Ex Patribus: purpuratus Dalmata S. Hieronymus in c. 1. *Epist. ad Ephes.* hæc habet: *Omnes Sancti sunt fideles, sed non omnes fideles sunt Sancti.* Quo quid clarius? Ut vero in ore duorum vel trium stet omne verbum, audiatur quoque D. P. August. qui tract. 6. in Joann. circa medium, nomine omnium Orthodoxorum dicit & docet: *Nos fatemur in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquam grana, & paleas.* Rursum in Breviculo collat. cum Donatistis c. 9. num. 16. Sensus in hunc fere modum aperit: duo tempora Ecclesiæ significata fuere duabus

duabus piscationibus, una ante resurrectionem Christi, quando mit-  
ti jussit retia, nec sinistram, nec dexteram nominando partem, ut  
nec solos malos, nec solos bonos. sed commixtos bonis malos intra re-  
tia suorum Sacramentorum futuros doceret. Peracta autem ana-  
stasi, dum retia dextrorsum mitti præcepit, quid aliud innuere  
voluit? nisi hoc, ut post resurrectionem nostram solos bonos in Ec-  
clesia triumphante futuros intelligeremus. Ergo.

Prob. 4. momentis e Theologia mutuatis. Sacramentum pœ-  
nitentiæ aliorum non est, quam eorum, qui sunt intra septa Ec-  
clesiæ. Atqui hoc Christus instituit proprie in commodum ac emo-  
lumentum peccantium, quatenus scelerum maculas voluntate per-  
sonæ contractas eluerent; justi enim pœnitentia non indigent, nec  
sanis opus est medico, sed male habentibus. Ergo dicendum: pec-  
catores omnino vera esse corporis Christi membra, ac intra Eccle-  
siam. 2. Si foret verum, quod Hæretici effutiunt, sequeretur su-  
periores Ecclesiasticum, quam primum sese peccato contaminaret  
mortifero, jam non amplius esse de Ecclesia, nec necessum eidem  
deinceps obedientiam præstare; subditos quoque desinere dici oves,  
& Pastoribus licere earum curam non agere. Quam vero hæc  
a veritate sint aliena nemo non videt. 3. Ecclesia est congregatio  
visibilis. Ergo, cum prædestinatio, & interna sanctitas sint pla-  
ne occulta, non soli prædestinati & justi in Ecclesia esse eamque tan-  
quam membra constituere possunt. 4to Ecclesia militans est vere  
& proprie Christi Domini Regnum, ut constat ex scriptura. At-  
qui regnum sæculare habet subditos Nobiles, Plebejos, Divites, pau-  
peres, bonos & malos. Ergo & in spiritali regno Christi sunt  
moraliter nobiles, & ignobiles, divites & pauperes &c. hoc est:  
tam peccatores, quam sancti, tam probi, quam reprobi. 5to Nun-  
quit in agro materiali inter vitentia culta, lappæque & tribuli, &  
steriles dominantur avenæ? Ergo similiter in agro Dominico (Ec-  
clesia) quamquam optime exculto, nedum frumenti grana, sed &  
zizaniarum germina, seu justi & peccatores crescunt, existunt.

# Proponuntur, & solvuntur Argumenta,

*Quæ Lutherus cum exercitu suo opponit.*

Objicies I. Ex Scripturis. Rom, 8. legitur: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Id est, ut supplet Glossa: *Hic non est ejus Servus.* Cum ergo improbi nec habeant Spiritum Christi, non sunt servi ejus, qua ratione membra Ecclesie dici poterunt? II. Epistolæ 1. ad Corinth. 10. loquens Apostolus de universo cœtu fidelium, ait: *Unus panis - multi sumus.* Sed panis ex frumento conficitur, non vero ex paleis. Ergo Ecclesia ex frumento justorum, non ex paleis peccatorum conflatur. III. Isaie 52. v. 1. de Sion, seu Ecclesia Christi hæc habentur: *Non adjiciet ( Dominus ) ultra, ut pertranseat per te incircumcisus & immundus.* Atqui horum nomine veniunt incircumcisi corde, impii, vitiorum cœno immergi, & peccatores quicunque. Ergo hujusmodi nequaquam sunt inferendi gremio Ecclesie IV. Epistolæ 5. Apostolus ait: *Christum se ultronee morti tradidisse, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam.* Atqui Ecclesia talis non foret, si etiam peccatores, & vitiis maculati illius membris accenserentur. Ergo. V. Ecclesia Cant. 4. vocatur *tota pulchra.* At quomodo tota pulchra, si inquinati sint in ea? VI. Eadem Ecclesia, de qua sermo, in Symbolo Apostolico dicitur *Sanctæ*; proinde ex *membris sanctis* solum debet constare.

Respondeo ad I. Improbos vere credentes habere Spiritum Christi & aliquam vitam, scilicet *fidei*, licet destituantur *vita charitatis* & gratiæ; quapropter sunt *servi Christi*, dicique debent *membra imperfecta* corporis illius mystici; quemadmodum etiam in Philosophia dentes, capilli, & ungues *vita imperfecta* gaudentes appellantur membra. & partes corporis humani. Ad II. R. *Unus panis* ( mysticus ) *multi*, seu omnes sumus *ratione fidei & gratiæ* baptismi nos coadunantis Conc. *Ratione morum* æqualiter sanctorum Neg. *Pariter* est pro Catholicis: sicut enim pani filigineo & puro persæpe admiscetur farina avenacea, aut hordeacea, ita pani mystico, seu coetui fidelium adjunguntur improbi tanquam paleæ. Nec opus est ut singuli credentium eandem præferant morum sanctitatem. Ad III. Nego absolute Min. & Conseq. quia mala est illatio, ut patebit ex declaratione textus; Isaias enim in sensu literali loquitur de persecutione temporali Judæorum. In sensu mystico de Ecclesia. Secundum primum

primum pollicetur Judæis captivis liberationem, eorumque terras deinceps nunquam esse devastandas ab Invasore aliquo infideli, incircumciso, & immundo. Ita exponit S. Cyrillus citatus apud Bellarminum. Secundum alterum sensum prædicit, fore: ut portæ inferi non prævaleant adversus Ecclesiam; quod verissimum est; sicque nomine incircumcisorum, & immundorum non peccatores quasi seclusi a membris Christi, sed *dæmones*, & præcipue *Hæretici* veniunt intelligendi, volentes, non tamen valentes Ecclesiam evertere & devastare. Fateantur proin, dicantque omnes inimici ejus: *Nitimur incassum Navim submergere Petri; fluctuat, at nunquam mergitur illa Ratis*, Ad IV. R. Verba Apostoli loco memorato intelligenda esse non de Ecclesia militante, sed triumphante, quæ procul dubio maculam, aut rugam habere nequit, cum nihil coinquinati, aut abominationem faciens in regnum Cælorum sit introiturum. Id, quod luce meridiana clarius monstrat D. P. August. lib. 2. *Retract.* c. 18. dicendo: *ubicunque Ecclesiam commemoravi non habentem maculam, neque rugam; non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ paratur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa.* Ad V. dico: Ecclesiam universalem dici pulchram & totam pulchram, imprimis, quia ubique gentium ea, quæ docet, sunt uniformia. Deinde quia nulla hæreseos, aut erroris cujuscunque labe aspergi potest, utpote perpetuo indefectibilis. Membra igitur maculata, qualia sunt peccatores, Ecclesiam non reddunt deformem. sed Ecclesia tota pulchra membra deformia, ut pænitiæ lavacro mundentur, docet, suadet, cupit, & præcipit. Ad VI. Ajo: Ecclesiam undequaque fore sanctam, non obstante, quod peccatores illius membris adnumerentur. Est quippe sancta multis ex titulis, nempe ratione Authoris, qui est sanctus Sanctorum. Deinde ratione doctrinæ, Præceptorum, & Sacramentorum, quæ omnia spirant, aut conferunt sanctitatem. Demum sancta est in præcipuis, non in singulis membris. Sic homo dicitur rationalis, & exercitus fortis, licet in illo sint multæ operationes non rationales. in hoc multi imbecilles.

Objicies 2do ex Patribus. Peccatores pertinent ad Civitatem Babyloniam, interprete Magno Augustino lib. 14. de Civit. Dei c. 28. Ergo non ad mysticam Jerusalem, scilicet Ecclesiam. Hæ quippe civitates sunt contrariæ, alia confusionis, alia pacis. II. S. Hieronymus Epist. ad Rusticum, quæ incipit: *Quod ignotus* inquit: *Eos*

plange, qui per scelera atque peccata egrediuntur de Ecclesia, & nolunt ultra reverti ad illam damnatione vitiorum. Si igitur mali ob scelera sua egrediuntur de Ecclesia, non erunt membra Ecclesiae. III. Chrysoſtomus Serm. in Joſeph. de continentia ait: *Audent fidelium quidam abſcindere ſe a Chriſto, & ſe jungere meretricibus.* Ergo non per ſolum infidelitatis, ſed quodcunque aliud peccatum mortiferum credentes divelluntur à Chriſto, fiuntque non membra Ecclesiae. IV. Pacianus Epist. 3. ad Sympron. ita ſcribit: Peccator, quamdiu peccat, & non pœnitet, extra Eccleſiam conſtitutus eſt. Ergo.

Reſpondeo ad I Distinguo Conſeq. Non pertinent ad civitatem myſticam Jeruſalem ſub eadem ratione. Conc. ſub diverſa Neg. Quemadmodum enim unus, idemque civis diverſo ſub reſpectu po- teſt pertinere ad duas civitates, eſſi inter ſe inimicas, puta, ad unam ratione nativitatis, ad alteram ratione domicilii; ita mali qua tales dicuntur ſpectare ad Eccleſiam malignantium: qua fideles vero, ſeu ratione fidei in- & externae ad Eccleſiam ſanctam Catholicam. Ad II. R. Divum Hieronymum neutiquam adverſari doctrinae noſtrae; vult enim ſolum dicere: quod mali egrediantur de Eccleſia triumphante, in quantum peccando excidunt ſine fidelibus præſtituto; non vero quod egrediantur de Eccleſia militante; quia non per quodlibet peccatum fit egreſſio ex ea, ſed ſolum per peccatum infidelitatis.

Unde cum mali retineant formam eſſentialiter conſtitutivam verorum fidelium, nempe fidem, manent veramembra Ecclesiae. Ad III. R. Eos, qui junguntur meretricibus, ſeparari quidem a Chriſto tanquam *Fine ſuo*, non autem a Chriſto tanquam *Capite Ecclesiae*. Hinc S. Chryſoſtomus recte reprehendit illos, qui per peccata ſua ſe ſcindunt à charitate & ſanctitate Chriſti, quique ejus ſervitio ſe ſubtrahunt, ſerviando Veneri. Ad IV. dico: Pacianum fraudulenter citari; nam verba, quae ad rem maxime faciunt, omittuntur, nimirum iſta: *Eccleſia eſt non habens maculam, neque rugam; hoc eſt: hæreſes non habens &c.* Patet igitur ex his, quales nam intelligat peccatores, nempe Hæreticos, quos nec nos pro membris Ecclesiae habemus, ſed omnino a populi Chriſtiani confortio proſcribimus.

Objicies 3tio A ratione: Qui ædificatus eſt ſuper arenam, non eſt in Eccleſia ſuper petram extructa. Sed impii ſunt ſuper arenam ædificati juxta illud, Matth. 7, *Qui audit verba hæc, & non facit ea,* ſimi-

*similis est viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam.* Ergo non sunt in Ecclesia super petram extructa. II. Improbi non pugnant contra hostes Dei, sed potius contra ipsum Deum. Ergo non sunt in Ecclesia militante, quæ a pugnando nomen sortitur. III. Christus non est caput peccatorum (cum capitis sit influere) Ergo peccatores utpote *moraliter mortui*, & incapaces alicujus influxus, non sunt membra Christi. IV. Peccatores & injusti non habent Deum Patrem. Ergo nec Ecclesiam Matrem. V. Una & eadem manus non potest esse membrum duorum corporum. Ergo neque idem homo potest esse membrum Christi, & diaboli. VI. Falsa moneta, licet imixta sit pecuniæ bonæ, manet nihilominus falsa, zizania pariter manent zizania sive crescant in agro, sive in deserto, Præterea paleæ sunt paleæ, seu tritico immixtæ sint, seu non. Ergo pariter filii diaboli, quales sunt impii, manent filii tenebrarum, tamen filii lucis exterius associantur.

Respondeo ad I. Distinguo Maj. Qui ædificatus est super arenam *ratione fidei*, non habendo solidum hujus fundamentum, ille non est in Ecclesia super petram extructa. Concedo. Qui solum propter *mores pravos* super arenam ædificatus est. Nego, Peccatores igitur dicuntur quidem habere fundamenta arenosa ratione morum malorum; at non *ratione fidei*: sic quippe sunt vere super petram ædificati, atque adeo membra Ecclesiæ. Ad II. R. Improbi *fideles* seu credentes, saltem per *fidem* & fidei lumen pugnant adversus potestates tenebrarum harum, etsi non atmis *aliarum virtutum*, ideoque merito militantis Ecclesiæ albo inscribuntur. Ad III. R. Peccatores *idicimortuos ex aliqua solum parte, non vero ex omni parte*: recipiunt enim a Christo influxum *fidei*, aliarumque gratiarum actualium; consequenter Christus est caput etiam peccatorum *fidelium*, & ipsi sunt membra corporis illius, quod est Ecclesia. Exemplum accipe in naturalibus, in quibus membrum privatum gradu *vitæ sensitivæ*, est membrum, vel saltem pars corporis, quamdiu retinet gradum *vitæ vegetativæ*. Porro notandum: quod Doctor Angelicus peccatores *fideles* non comparet membris penitus *mortuis*, sed tantum *mortificatis*; unde nil prohibet eos a Capite recipere influxum, ut ut non illum, quem membra capiunt perfecta. Ad IV. Dico: improbos habere Deum Patrem, & Ecclesiam Matrem dono *fidei Divinæ*, quamvis non prærogativa *charitatis*. Nam variis titulis potest quis inaugurari in Filium Dei, &

Ecclesiae, inter hos est etiam titulus doctrinae, & vocationis ad fidem; proin peccatores, cum veram fidem profiteantur, sunt vere Filii Patris aeterni, licet non dilecti ob defectum gratiae. Deinde: quamvis daremus eos, qui suave jugum Christi excutiunt, non habere Ecclesiam pro Matre, inde tamen non probaretur, tales exulare ab Ecclesia, eo quod in domo Christi, sicut in quavis alia familia, non modo filii sint, sed & familiares, servi & famuli; licet famuli non maneant in domo in aeternum. Ad V. Concesso Antecedente Nego Conseq. quia hoc in moralibus non repugnat; alias Job imprudenter dixisset: *Oculus fui caeco, pes claudo &c.* Ephetha! adaperire! loquere Lutherane! nunquid idem homo potest esse membrum duarum communitatum? ecur non membrum Christi ratione fidei, & membrum diaboli ratione peccati?

Ad VI. R. Nos nequaquam dicimus, ut objiciens ineptissime atumat, quod peccatores qua tales sint *sancti & justi*, sed quod sint membra Ecclesiae, *quae sancta est*. Praeterea ultro fatemur: paleae manere paleas. At ut haec sunt partes illius boni aggregati, quae Area impletur, ita non morigeri & recalcitrantes sunt compars Ecclesiae, quae ex justis & injustis conflatur. Idem proportione servata ad reliqua reponendum.

Objicies 4to speciatim cum Affectis Calvinii. Apostolus ad Hebr. 3. v. 6. ait: *Christus vero tanquam Filius in domo sua: quae domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* Hoc posito sic discurrunt: Qui non perseverant usque in finem, non sunt partes domus, quae est Ecclesia. Sed soli Praedestinati, non vero reprobi, perseverant usque ad finem. Ergo non reprobi, verum soli praedestinati sunt partes Ecclesiae. II. Idem Apostolus ad Rom, 8. v. 30. dicit: *quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Jam inferunt: Quicumque sunt in Ecclesia, sunt a DEO vocati. Sed nullus reprobus est a DEO vocatus (quia nunquam justificabitur ad gloriam) Ergo nullus talis est in Ecclesia. III. Apoc. 21. haec asseruntur de Ecclesia militante: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de caelo.* Nunc sic: *Soli praedestinati ascendent ad caelum.* Ergo illa Ecclesia, quae descendit de caelo, nempe militans, est solis praedestinati coadunatur. IV. Ecclesia Cant. 4. vocatur *Hortus conclusus.* Augustinus autem lib. 5. de baptis-



mo c. 27. dicit: *prædestinatos & electos esse hunc hortum conclusum.* Ergo

Respondeo ad I. Concedo textum, & nego Maj. *perseverantia* enim *finalis* in bono, juxta communem interpretationem hujus loci non exigitur, ut quis constituatur *pars* domus Ecclesiæ *militantis*, sed *triumphantis*. Ad II. Distinguo Maj. *Vocatione efficaci vel inefficaci* concedo. *Tantum efficaci* nego. Divus Paulus, dum ait: *vocatos justificari & glorificari*, non loquitur de *vocatione communi* ad Ecclesiam, sed de *vocatione speciali* ad gloriam, quæ in *prædestinatis est efficax*. Hunc autem sensum esse Apostoli patet ex verbis antecedentibus. Ad III. Nego Conseq. Ob rationes in conclusione nuper positas. Dicitur autem Ecclesia *militans* de cælo descendere, quia *cælesti* gratia vocante exorta est, qua gratia duntaxat & reprobis, & *prædestinatis*. Ad IV. Retorqueo argumentum: *Primitiva ac recens nata Ecclesia*, seu collegium Apostolorum, & pusillus grex credentium vivente super terram Christo, vere fuit *hortus conclusus*, & tamen *Judam reprobam* intra septa sua complectebatur, *Saulum* vero, quo tempore adhuc erat spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, excludebat. Ergo falsum est *solos prædestinatos* ad Ecclesiam pertinere. Respondeo secundo. Citatus sacri codicis locus in nostræ potius, quam adversæ sententiæ confirmationem venit. Nam sicut in horto concluso vepres cum floribus, & spinæ cum rosis permiscentur, ita in Ecclesia cum justis & *prædestinatis* improbi, & reprobis. Respond. 3tio explicando textum: Ecclesia *triumphans* habens solos electos vocatur *hortus conclusus* concedo. Ecclesia *militans*, subdistinguo: in hoc sensu: quod solis occludatur extraneis, & *a fide alienis* Conc. In alio sensu: quasi solos contineret *electos* nego. Quando autem S. P. Augustinus docet: Ecclesiam *militantem* vocari *hortum conclusum*, loquitur per *synecdochen*, tribuendo toti Ecclesiæ, quod tantum convenit *nobiliori portioni*, nempe *prædestinatis*. Porro in iisdem canticis dicitur Ecclesia *fons signatus*, quia nullius hæreseos veneno infici potest, & *puteus aquarum viventium* quia credentes hauriunt ex ea veram morum doctrinam, & aquam salientem in vitam æternam. Sunt igitur in tota collectione Fidelium etiam *prædestinatis*; at *non soli*; alioquin sequeretur: Ecclesiam nec sub hominum aspectum, nec sub cognitionem cadere posse, cum *prædestinationis*

tionis arcanum omnino nos lateat, & nemo sciat utrum amore aut odio sit dignus.

Objic. 5to. Arca Noe figura fuit Ecclesiae, sic interpretante Divo P. Augustino lib. 5. de baptismo cap. ultimo. Sed Arca Noe habitabatur à solis salvandis ab aquis diluvii, id est: à *prædestinatis*, qui efficaciter salvabuntur. Ergo Ecclesiae domus præter *prædestinatos* & salvandos, incolas habet nullos. II. Ecclesia est *unum ovile*. Joan. 10. Sed istius ovilis oves sunt soli *prædestinati*. Nam Augustinus *Tract. 45. in Joann.* expresse docet: *per oves intelligi eos, quos Dominus per præscientiam suam, novit esse suos.* Ergo

Respondeo ad I. Huic argumento obviari potest verbis ejusdem. S. P. Augustini lib. 3. contra Julianum dicentis: *mira sunt, quæ dicitis, nova sunt, quæ dicitis, falsa sunt, quæ dicitis. Mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus.* Et sane, nam arma, quibus Calvinistæ adversum nos pugnant, ipsos pugnantes debellant quia tela hoc modo invertimus: sicut in arca Noemica diversis generis claudabantur animalia, *munda, & immunda*, ita in Ecclesia continentur boni, mali, *prædestinati, & reprobi.* Ergo

Demum ut extra Arcam, ita extra Ecclesiam nulla speranda salus; unde figura e sacris literis adducta valet tantum *quoad aliqua*, non vero *quoad omnia*. Nec Augustinus Augustino contradicit, qui multis in locis & grana & paleas, id est: peccatores, justos, reprobos, & *prædestinatos* in Ecclesia agnoscit. Ad II. R. O *præclaros custodes ovium*, ut ajunt, *lupos!* Vos Calvinistæ lupino dente oves de grege Christi rapitis, sed non capitis, nec capere vultis discrimen, quod inter infirmas & sanas, inter mundas & scabiosas oves versatur. Amabo! dicite mihi, ubi hæ & illæ domi sint? nunquid omnes in *uno ovili*? Et quis nescit de ovibus scabiosis alias quandoque sanari, alias perire? Fateamini proinde Cætum fidelium non ex *electis & prædestinatis tantum*, verum etiam ex *malis Christianis* partim damnandis, partim sanandis & salvandis confiari. Nec obest nobis auctoritas Præsulis Tagastensis; nam is totus in eo est, ut ostendat a DEO *præsciri* eos, qui sint futuri sui vel in gloria, vel in Ecclesia.

Objic. 6to. Joan. 1. c. 2. v. 19. dicitur: *Ex nobis prodierunt* (*græce exierunt*) *sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex*

*ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Hoc posito: Iniquitas mentita est sibi sic Discurrendo: Reprobi tantum videntur esse membra Ecclesiae, reapse tamen non sunt, quia ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Ergo soli Prædestinati, qui manent nobiscum, quique ad finem usque perseverant, constituunt Ecclesiam, seu corpus Christi mysticum. II. D. P. Augustinus lib. de corrept. & gratia c. 9. de reprobis ait: Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non vere discipuli Christi, ita nec vere filii DEI fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita nominabantur. Atqui per filios Dei veros, & Discipulos Christi intelliguntur vera Ecclesiae membra. Ergo præter Prædestinatos nullus reproborum est verum Ecclesiae membrum. III. Idem Augustinus in Psalm. 131. inquit: Sunt, qui non perseverant, non ergo sunt ipsi Ecclesia.

Respondeo ad I. Dilucido textum: *Ex nobis exierunt*, & hic notat Evangelista Hæreticos sui temporis, quales fuere Ebion & Cerinthus. *Sed non erant ex nobis*, id est ex solidis, genuinis & constantibus Christianis. Nam si tales fuissent, utique in Ecclesia vera mansissent.

Atque hæc expositio haud dubie ex interpretibus scripturæ desumpta, legitur in Bibliis R. P. Cartier; qua glossa stringitur etiam Calvinus cum suis, quia & ipsi de Ecclesia Catholica exierunt.

Ad enthymema dico: reprobos, si credant & Catholici sint, non tantum videri, sed vere esse membra Ecclesiae militantis, tum propter fidem, quam profitentur, tum propter externam Sacramentorum communionem, licet non sint futuri membra Ecclesiae triumphantis secundum prædestinationem. Unde tales dicuntur à nobis exire, vel exiisse, quia non sunt præsciti ad gloriam. Ita expresse sentit S. P. Aug. lib. 2. c. 21. contra Cresconium. Ad II. R. Explico sub distinctione: Non fuerunt, vel non sunt veri discipuli Christi & filii DEI veritate finis & prædestinationis Conc. Veritate essentiae & formæ, seu ratione fidei, Sacramentorumque communionis Nego. Consule Notanda. Ad III. Rursum explicando repondeo: *Non ergo sunt ipsi Ecclesia*, id est reprobi non sunt pars ea Ecclesiae, quæ cum Christo mensura est in æternum Conc. non sunt pars ea Ecclesiae, in hoc sensu, quasi reprobi non essent membra vera Ecclesiae. Nego. Videtis supra dicta.

Objicies ultimo : Christus Dominus illius Ecclesiae est caput, cujus membra *salvabit*. Atqui *solos praedestinos* salvabit. Ergo. R. Distinguo Maj. Christus illius Ecclesiae est caput, cujus membra *salvabit vel efficienter vel sufficienter* Con. tantum *efficienter, seu efficaciter* Nego. Eodem namque modo Christus est caput Ecclesiae, quo modo est Salvator. At Salvator est ne dum praedestinatorum, verum omnium prorsus hominum, saltem secundum *sufficientiam*. Ergo, quemadmodum pro omnibus in Adam mortuam mortem subivit, ita singulis morte sua vitam restituit *in actu primo*; nec ullum in toto genere humano est reperire, cui DEUS ex infinito meritorum Christi thesauro non det, praeparet, offerat, & conferat media ad salutem aeternam consequendam necessaria. Cum scriptum sit 1, *ad Timoth.* quod *omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Cæterum memini quidem Calvinum impie effutiisse : Christum in cruce pendulum pro solis electis ac praedestinis tradidisse Spiritum. Ast pestiferam hanc Theologiam aeterno anathemate confixam jam incunis suis ad Acherontem usque Ecclesia profligavit. Quid ad haec Calvine? locum hic habet contra te illud Claudiani Mamerci *lib. 1. de statu animæ c. 11.* *Vide! quam parvo negotio veritatis calor, frigentium verborum pruinas liquefecerit.*

## Quaestio Secunda.

*Utrum Ecclesia Christi universalis, quam militantem vocamus, perpetuo fuerit Visibilis, & necessario semper conspicua esse debeat?*

**T**Otus controversiae praesentis cardo vertitur in hoc : an vera Christi Ecclesia aliquando reapse facta sit *invisibilis*; Et num eo devenire possit, ut omnem omnino hominum aspectum subterfugiat, solumque Deo sit cognita? Nos Catholici hoc fieri posse constanter pernegamus, moti illo Symboli Apostolici articulo, quo profiteamur nos credere *Ἁγίαν Ἐκκλησίαν Καθολικὴν* Sanctam Ecclesiam Catholicam. Hunc vero articulum de Ecclesia *Visibili* esse intelligendum, docent Concilia, & Patres communiter; praesertim D. P. Aug. *lib. 2. in Epist. Joan.*

Joan. ubi inquit: *In sole, id est in manifesto posuit tabernaculum suum.* Agit indubie de Ecclesia, quam oculis adspicimus, & fide credimus. Unde dari Ecclesiam Visibilem est de fide. Et recte; nam licet externis oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus conflata est Ecclesia Visibilis, attamen quod in ea multitudine tradatur incorrupte vera Christi, & Apostolorum Doctrina hoc non videmus, sed credimus.

Haftenus dicta Sectariis moderni temporis Lutheranis æque, ac Calvinistis minime sunt ad palatum; hinc illi *solos perfectos & justos*; hi vero *solos prædestinatos* intra limites Ecclesiæ collocant. Et quia non modo sanctitatis conditio, sed & prædestinationis arcenum omnino nos latet, sequitur (ut ajunt) Ecclesiam necessario debere esse invisibilem.

Necessitas autem, quæ A catholicos omnes ad hanc sententiam impellit, ista est: affirmant modernam suam Ecclesiam *veram* esse, & eandem quidem, quæ Apostolorum tempore, & duobus, ternisve sæculis post illos per orbem universum propagata floruit. Verum cum toto tempore, quod Apostolos inter, & Lutherum aut Calvinum fluxit, nullum suæ fidei vestigium, nec doctorem ullum, qui eam secundum omnia docuisset, assignare possint, dicere necessario coguntur, totis illis mille & trecentis annis Ecclesiam suam vel penitus *intermortuam* fuisse, vel certe *invisibilem & ignotam* latuisse. Misera sane effugia! quibus *novitiæ* suæ Religioni *antiquitatem* non modo non conciliant, sed potius Epicuri atomos, ideas Platonis, & Pphilosophorum hirco-cervos in lucem revocant. Unde

*Dico: Ecclesia Christi militans universalis non solum perpetuo fuit visibilis, sed neque invisibilis unquam esse potest.*

Id, quod tripliciter ad oculum ostendere conabor, scripturis, autoritatibus Patrum, & momentis Theologorum. Aperiam igitur in parabolis os meum; loquar propositiones ab initio. Isaia 2. v. 2. dicitur: *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Atqui mons iste omnium Doctorem consensu

Ecclesiam Christi militantem, eamque universalem designat. Ergo perpetuo debet esse *visibilis*, ut omni tempore gentes omnes ad eam confluere possint. Quid multis? Ecclesia rebus magnis ac semper conspicuis comparatur; videlicet Psal. 71. Regno diffuso a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos terræ. Psal. 88. v. 30. Throno sempiterno. Matth. 5. Civitati supra montem posite. Item apud eundem c. 13. *Areæ spatiosissimæ*. Ibidem v. 47. *Sæculi generis capacissimæ*. Quibus omnibus evidenter demonstratur Ecclesiæ perpetua visibilitas; nam cum semper, & omni tempore similis esse debeat iis rebus, quibus in sacris literis a spiritu divino & ab ipsomet Christo comparatur, eæque plane sint visibiles, sequitur, Ecclesiam quoque, de qua nobis sermo, omni tempore debere esse *visibilem*.

Probatur 2do. Auctoritate Patrum. Origenes Homil. 30. in Matth. inquit: *Ecclesia plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem*. Item S. Epiphanius ait: *Thronus David, & Regia sedes, & sacerdotium in Ecclesia sancta est; quam dignitatem Regiam simulque Pontificiam conjunctim largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ, translato in ipsam throno David, non deficiente in æternum*. His adstipulatur S. P. August. Tom. 2. Epist. 174. ad Severin. dicens: *Facile tibi est attendere, & videre Civitatem supra montem constitutam, de qua Dominus ait in Evangelio, quod abscondi non possit. Ipsa est enim Ecclesia Catholica. Unde Κοινοτική grece appellatur; quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hoc ignorare nulli licet. Hinc secundum verbum Domini nostri Jesu Christi abscondi non potest.*

Aliis Auctoritatibus, quas passim est reperire apud Theologos Polemicos, brevitatis causa supersedeo.

Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. Illa Ecclesia necessaria est *visibilis*, in qua publice indicuntur, & celebrantur concilia; in qua sanciantur Canones, & dirimuntur controversiæ de fide. At hæc omnia palam fiunt in vera Christi Ecclesia; nam ipsimet Apostoli, ut patet Actor. 15. concivere ejusmodi comitia; quin & post eorum tempora, ut historia loquitur, celebrata fuere concilia Oecumenica Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Calcedonense, &c. quæ etiam ab Adversariis ceu legitima admittuntur. Ergo.

Confirmatur 1. *Super hanc petram (ait Veritas) ædificabo Ecclesiam meam.* Petra hæc, quia demonstratur, est *visibilis*. Cur non Ecclesia ei superædificata? *Dic Ecclesie (ait Veritas) ist est, teste doctorum Ecclesie quaternione: Dic cœtui fidelium.* Quomodo autem dicet quis hoc aut illud *cœtui*, si ab humanis oculis cœtus sit segregatus? *Vos (ait veritas) vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Et quomodo hi *invisibilem* gubernabunt Ecclesiam? aut qua ratione subditi Episcopis obtemperabunt, si non cognoscant Superiores suos Ecclesiasticos?

Confirm. 2do. Omnes tenentur sese aggregare cœtui fidelium, & veræ Christi Ecclesie, quia *nulla salus extra*, ut fatentur ipsi Hæretici. Atqui id impossibile foret, si Ecclesia lateret *incognita*, aut sub modio posita. Ergo. Demum, quod caput est rerum: Sacramentorum communio *publica*, & Verbi divini prædicatio (quas ipsimet Sectarii veras Ecclesie *notas* concedunt (clare satis visibilem esse Ecclesiam, perhibent, dicente Apostolo: Rom. 10. *quomodo credent sine prædicante?* Sane non facile intelligo, qua ratione duo hæc *invisibiliter* accidant. Denique Ecclesia est societas, non *Angelorum*, sed hominum; *homines* autem sunt *visibiles*; quidni & Ecclesia ex hominibus conflata.

### *Enervantur, diluuntur, & solvuntur argumenta Hereticorum.*

Objicies I. Ecclesia juxta paginas sacras est *spiritualis*: nam Jerem. 31. dicit Deus: *Dabo legem meam (Ecclesiam) in visceribus eorum, & in corde eorum scribam.* Ergo est *invisibilis*. II. Ecclesia dicitur *Regnum Dei*, quod *intra nos est*: secundum illud Luc. 17. *Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent: ecce hic, aut illic: ecce regnum Dei intra vos est.* Ergo hoc regnum *internum*, scilicet Ecclesia, *invisibile* sit, oportet. III. Joann. 4. ait Christus: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & Veritate.* Ergo non erit *visibilis* Ecclesia, ita, ut Deo publice offeratur adorationis thymiama. IV. Ecclesia vocatur *Domus spiritualis*, ut patet 1. Petr. 2. *superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* Ergo idem quod prius V. Ecclesia comparatur *Thesauris absconditis*; ideoque *invisibili*. VI.

*Lunæ*, quæ non raro redditur *invisibilis*. VII. *Arca Noe*, in qua populus  
fidelium grex ita latuit, ut a nemine videretur. VIII, Apoc. 12  
assimilatur *mulieri* occultanti se in solitudinem; ubi habebat locum pre-  
paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille, ducentis sexaginta.  
Ergo aliquo tempore sub hominum aspectum non venit. Denique II.  
Apoc. 9. dicitur Ecclesia sub nomine *Solis* obscuranda fumo putei, hoc  
est: erroribus ex inferno emergentibus. Obscurari autem Ecclesiam  
est ipsam deleri, & fieri *invisibilem*. Ergo.

Respondeo ad I. Distinguo Antec. Ecclesia est spiritualis secun-  
dum *quid*, nempe ratione formæ interioris, quæ est fides, charitas  
&c. Conc. *simpliciter* & *absolute*. Nego. Est enim corpus constitutum  
Capite, & membris *visibilibus*. Insuper Ecclesia dici potest *spiritualis*  
ratione *Auctoris, effectuum & finis*. Quod autem his modis est spi-  
rituale, potest esse visibile, ut patet de Sacramentis. Unde ad textum  
primum dico: per *legem* non intelligi *Ecclesiam*, sed Testamen-  
tum novum; vel *legem charitatis* scriptam in cordibus fidelium; quæ  
lex, licet non videatur, videtur tamen Ecclesia, in qua lex illa est.  
Sicut videtur corpus, etsi cor, vel anima non veniat sub aspectum.  
Ad II. Distinguo Antec. Ecclesia dicitur regnum Dei, quod est intra  
nos quoad *fidem internam*, & dona spiritualia Conc. Quod est intra  
nos quoad *externam fidei professionem*, & Sacramentorum commu-  
nionem &c. Nego. Dico igitur: Theophilactum intelligere per  
regnum Dei *intra nos* gratiam divinam. Ven. Beda explicat præter-  
itum locum de *Messia* adventu, quem ait, fuisse tam humilem, ut  
nec fuerit observatus venisse, nec postea more Regum monstrari  
potuerit. Utraque tantorum virorum opinio credibilior est, ac illa  
quæ Ecclesiam *invisibilem* facit, cum hæc *visibiliter* tantum gubernari  
debeat. Ad III. R. In textu adducto non agi de loco, sed  
de ritu colendi DEum; facit enim hunc sensum: Christiani non colunt  
DEum *externis* tantum cæremoniis, & victimis, ut Judæi (sic  
exponente Chrylostomo, Cyrillo, & Evthymio) nec præter verum  
DEum colunt falsos, ut Samaritani (sic explicante Theophi-  
lacto, Divo Thoma, & Cajetano) sed in *spiritu* etiam, & modo  
interno, qui autem non omnes externas cæremonias excludat. Et  
in *veritate* adorabunt; id est: unum & verum DEum, non amplius  
in *figuris*, sicut Judæi, sed in re *figurata*. Ad IV. R. Distinguo  
Antec. Ecclesia vocatur domus spiritualis ratione *fundamenti*, quod  
est



effides interna, ut ex 1. ad Corinth. 3. v. 11. colligitur Concedo. Ratione *structuræ*, quæ est collectio hominum, fidei fundamento superædificatorum Nego. Unde ad locum scripturæ, ex quo, ceu sede, memoratum argumentum levatur, dico: quod *spirituale* ibidem sumatur sicut 1. Corinth. 2. v. 15. *Spiritualis homo*. Et 1. Corinth. 15. v. 44. *Corpus spirituale*. Pro eo nempe, quod secundum spiritum fit, non secundum carnem; & prout *spirituale* opponitur *animali*. Sic sumit S. P. Aug. de fide & symbolo. Item S. Bernardus tract. de vita solitaria. Ad V. R. Ecclesia comparatur thesauro abscondito, non ideo, quia *latet*, sed quia *inventat*, & *delectat*, ut thesaurus inventus, qui inventori prius erat incognitus. Alii sic respondent: comparatur thesauro quoad *valorem* rerum spiritualium Conc. Quoad *esse*, quasi nesciatur *ubi sit*. Nego. Ad VI. ajo: Ecclesiam assimilari lunæ, non ideo, quasi aliquando obscuretur tota, ac *invisibilis* reddatur, sed quia habet lumen suum *doctrinæ* & *sanctitatis* à Christo, sicut luna suam lucem a sole. Secundo: quia ex *parvo* initio crevit in *magnam* perfectionem, ut videmus crescere lunam. Tertio, quia patitur *vicissitudines* suas, nimirum pacis, & persecutionis, tranquillitatis & tumultuum, ut luna suas. Utiq; enim non omni tempore est æqualis splendor Ecclesiæ, sed aliquo modo etiam obscurari, & suas quasi Eclipses pati potest. Non tamen ita, ut videri, & dignosci exterius amplius nequeat. Ad VII. R. Totam Ecclesiam, & pusillum fidelium gregem in Arca, fuisse *cognitum* iis, qui erant in illa inclusi; nec opus fuit, ut videatur ab aliis hominibus, cum aquæ diluvii, peccatorum ultrices, neminem reliquerint superstitem. Ad VIII. Ibi est sermo de Ecclesia tempore Antichristi, ubi etiam multi Præsules metu persecutionum *in solitudines* fugient. Quamvis econtra alii sint futuri, qui fortiter sese opponent. Idcirco versu antecedente dicitur mulier peperisse *filium masculum*, hoc est: fortem, & generosum, videlicet selectam multitudinem fidelium, quæ ducibus Enocho, & Elia invicto animo resistet. Ad IX. Distinguo Antec. Obscuranda & delenda quoad *multos*, qui adhæsuri sunt Antichristo Conc. Quoad *omnes* Nego. Semper proin prædicato *visibilitatis* illustris persistet Ecclesia super petram fundata, & supra montem posita. Res vulgo nota est, & inclarescet magis ex dicendis quæstione sequenti.

Objic. 2do Si Ecclesia foret visibilis, id probaretur potissimum ex his textibus: *Dic Ecclesiae; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus. Matth. 18. Attendite universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Actor. 20.* At ex his nihil probatur (quia ista & his similia scripturarum testimonia solum loquuntur de Ecclesia *particulari*, non *vero universalis*) nam quomodo correcturus fratrem dicet *toti Ecclesiae*? vel qua ratione frater corrigendus audiet Ecclesiam *universalem* per totum orbem dispersam? Ergo. II. Ecclesia *triumphans* assimilatur in scripturis rebus *visibilibus*; puta *Civitati Jerusalem. Sponsae ornatæ. Domui multas mansiones habenti &c.* & tamen non est visibilis. Ergo nec Ecclesia *militans* dicenda est visibilis, licet *Reti, Ovili, Monti, Regno, & Civitati* comparetur. III. Quod est *objectum fidei* conspici non potest. Atqui Ecclesia est *objectum fidei*, ut patet ex Symbolo. Ergo. IV. Juxta doctrinam Apostoli *Rom. 12. v. 5.* Ecclesia est corpus Christi *mysticum*. Atqui corpus Christi *mysticum* est *invisibile*, cum constet solis *prædestinatis, justis & sanctis*. Ergo. V. Forma Ecclesiae *universalis*, nempe *fides, spes, & charitas*, est plane *invisibilis*. Ergo & ipsa Ecclesia. VI. *Notæ* Ecclesiae non sunt *lucidum & coloratum*, sed *unitas, sanctitas, Catholicitas &c.* Atqui hæc non videntur. Ergo nec ipsa Ecclesia. VII. Ecclesia (quemadmodum *historiæ* loquuntur) aliquando ita fuit *turbata, afflictæ, dispersa, & diminuta* partim *persecutionibus*, partim *hæresibus*, ut certo tunc non videatur fuisse *visibilis*, & mundo *cognita*. Ergo.

Hæc iterum sunt arma, quibus Hæretici visibilitatem Ecclesiae conantur debellare; ast irritò conatu, quia deficiunt, etiam dum in lucernis scrutari conantur *scrutationes*. Respondeo igitur ad I. *Tractat* Maj. quod scilicet aliqui textus citati, vel citandi tantum de Ecclesia *particulari* sint intelligendi. Negatur tamen *Min. & Conseq.* Nam si Ecclesiae *particulares* nequeunt esse *invisibiles*, multo minus *talis* fieri poterit *universalis*; quia, quales sunt partes tale quoque est totum. Adverte tamen: quod si Ecclesia *particularis* deficiat, non redditur *invisibilis*, ita, ut simul perduret, sed cessat esse pars Ecclesiae *universalis*. Ad II. *R.* Paritatem favere nobis; quia sicut *comprehensores* vident Ecclesiam *triumphantem*, ita *Viatores* vident *militantem*. Deinde dato & *permissio Antec. Nego Conseq.* Ob *disparem rationem*. Ideo quippe hic & nunc *beatissimus*

tissimus cœli incolarum cœtus nobis non est conspicuus, quia constituitur ex membris undequaque spiritualibus, nempe Angelis, & animabus corpore solutis. At de fidelibus, ex quibus Ecclesia militans conflatur, alia currit ratio. Paucis: in Ecclesia triumphante sunt ea, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit. In Ecclesia vero Nostrate auditur prædicatio Verbi Divini, videntur Sacramentorum signa, conspicitur cultus Dei externus, cernitur summus Pastor; denique oves eidem subjectæ, & hujusmodi sexcenta alia oculis obversantur. Ergo. Ad III. R. Quod est objectum fidei conspici non potest sub eo *motivo*, sub quo *creditur*. Conc. sub *qua ratione* non creditur. Nego. Sic Baptismus quatenus est ablutio *exterior*, cernitur; quatenus vero Sacramentum *creditur*. Exemplo tibi sint Apostoli: videbant humanitatem Christi; at eam hypostatice Verbo Divino conjunctam, & veluti maritatum esse non videbant, sed fide tenebant. Ad IV. Absolute nego, corpus Christi *mysticum* constare e *solis* justis, sanctis & prædestinatis, ob momenta in præambulis statuta. Dicitur vero Ecclesia Corpus Christi *mysticum*, quia caput, & membra Ecclesiæ vinculo fidei conligantur, quæ mystice *anima* baptizatur. Secundo quia Ecclesia spectari potest ut habens a Christo *vitam Spiritus*, id est: vel vitam gratiæ, charitatis & fidei simul; vel vitam solius fidei internæ, *exterior* tamen manifestatæ. Proin tota collectio hominum fidelium, hoc spiritu animata, corpus Christi *mysticum* nuncupatur, *visibile* ratione membrorum cum capite unitorum, *invisibile* ratione unionis, seu *fidei*, quæ *anima* consuevit appellari. Ad V. Inverte arma: licet forma hominis (anima) sit *invisibilis*, inde tamen minime sequitur: hominem esse invisibilem. Ita de Ecclesia sentiendum; quia certas habet *Notas*, quibus discerni possit, a qualibet alia societate. Ad VI. Ajo: *Notas* Ecclesiæ & *videri*, & *credi*. Videmus Signa exteriora; hæc autem esse *notas* veræ Ecclesiæ credimus ex Scripturis, & Symbolis fidei; dum venimus in notitiam illius societatis, cui *Notæ* illæ suapte natura congruunt, credimus eam *veram* esse Christi Ecclesiam.

*Notæ* itaque dictæ efficiunt Ecclesiam *visibilem*, & insuper deseruiunt, ut *hanc* Ecclesiam *visibilem* credamus esse *veram*. Sic miracula Christi videbantur, & ipsum non modo *visibilem* reddebant; sed simul intuentes movebant, ut in eum crederent. Ad VII. R. Quod Ecclesia semper conspicua visibilisque maneat, seu cum floret ac triumphat,

phat, seu cum affligitur, & perturbatur. Imo nunquam illustrior  
visa est, quam ubi vel persecutionibus Ethnorum, vel disputatio-  
nibus Hæreticorum impugnata fuit. Unde etsi historiae de ejus dimi-  
nutione loquantur, nullum tamen tempus ostendent quo sit invisibilis facta.

Objicies 3tio Ex visceribus causæ. Ecclesia Christi, de qua hic sermo, est Ecclesia *militans*, quia exercet militiam *spiritualem* adversus hostes *invisibiles*, nempe dæmones, & portas inferorum. Ergo & ipsa *invisibilis* sit, necesse est. II. Præcipuus Ecclesiæ cultus est *spiritualis*, & internus, adeoque *invisibilis*. Cum igitur denominatio sumatur a *potiori*, debet ex hoc cultu dici *non visibilis*. III. Omnis, qui actu *Salvatur*, est membrum Ecclesiæ. Atqui *injuste excommunicatus* actu salvatur, si (cæteroquin justus) in excommunicatione decedat. Ergo est membrum Ecclesiæ. Subsumo: atqui non est membrum Ecclesiæ *visibilis*, utpote ab ista mediante excommunicatione resectus. Ergo est membrum Ecclesiæ *invisibilis*. Proin datur aliqua *invisibilis* Ecclesia. IV. Nullus Hæreticorum *videt* Ecclesiam veram; aut si visibilis est, monstrant eam Catholici *evidenter*. Quod cum nequeant, relinquitur: Ecclesiam revera sub hominum aspectum venire non posse.

Respondeo ad I. Distinguo causalem: quia exercet militiam *spiritualem* adversus hostes *invisibiles tantum*. Nego. Etiam adversus hostes *visibiles*, ut sunt caro, mundus, & quidem per arma *sensibilia*, puta Sacramenta, opera bona externa &c. Conced. Ant. & nego Conseq. Vide quam infirmum sit argumentum. Ad II. Retorqueo: præcipui actus in homine sunt *interni* ac *spirituales*. Ergo ex his debet dici *invisibilis*. Sicut proinde hic non valet illatio, ita nec ibi. Ratio est, quia non omnis effectus potest tribuere omnem suam denominationem suæ causæ, præsertim *inadæquatæ*. Alioquin homo diceretur esset irrationalis, imo & mortuus, cum plurimas operationes non rationales, & non vitales eliciat. Ad III. In nostra sententia absolute negatur Minor subsumpta; siquidem supra ostendimus *Fideles excommunicatos* manere membra Ecclesiæ. Juxta sententiam vero absolute dicendum: quod *injuste & ex errore facti excommunicatus* secundum præsumptionem in foro *externo* sit extra Ecclesiam; in foro autem *interno* & in re, intra Ecclesiam. Ad IV. Ne crambem recocquam dico: Tota objectio mera est cavillatio. Et quid ais Hæretice talpa

talpa cæcior ? tu non vides Ecclesiam , quam tibi monstro ? Illic evidenter cerne veram Christi Ecclesiam ( Romana est ) ubi fides salvifica inde ab initio Christianismi incorrupte docetur. Illic evidenter cerne veram Christi Ecclesiam ( Romana est ) ubi præter mandata DEI etiam consilia Filii DEI vigent , & sanctus is vivendi modus , quem tantopere suadet Evangelium , ab innumeris utriusque sexus suscipitur. Illic evidenter cerne veram Christi Ecclesiam ( Romana est ) ubi vitam egerunt omnes , quot quot toto mundo conficio Sancti proclamantur , quorum pars maxima Episcopi , Ecclesiastici , Monachi , & cœnobiorum fundatores exstiterunt , aut Romani Pontifices , & Christi Martyres fuere. Illic evidenter cerne veram Christi Ecclesiam ( Romana est ) ubi tanti & omnes boni fructus excreverunt , ortumque habuit omne , quid quid apud Christianos pium & sanctum nominatur. Denique illic evidenter cerne veram Christi Ecclesiam ( Romana est ) ubi ille , divinum quid spirans , ordo annuus in festorum , jejuniorumque observationem piissime distributus. Sacerrimæ ubi cæremoniæ , quarum usus & explicatio non tantum pietatem erga DEum promovent , sed etiam internæ solatiofissimæ sanctitati famulantur. Ecce ! non potest civitas abscondi supra montem posita ; & cur tu Sectarie ! vis potius clausis oculis in hunc montem offendere , quam in eum credendo ascendere ?

Objicies ultimo. S. Hilarius lib. contra Auxentium , in fine ita inquit : *Male vos parietum error cæpit , male Ecclesiam DEI in tectis , ædificiisque veneramini ; male sub his pacis nomen ingeritis montes , mihi & lacus , carceres , & voragines sunt tutiores.* Jam quid ex his eruitur , nisi quod eo tempore , quo vixit hic vir , Ecclesia fuerit occultata ? R. Ex hac auctoritate contra visibilitatem Ecclesiæ nihil evincitur ; nam S. Hilarius loquitur ibi de Ecclesia particulari status Mediolanensis , quam Auxentius invaserat. Imo si locus etiam ille intelligeretur de Ecclesia universali , tamen Adversarii non obtinerent intentum ; quia licet fideles non possent convenire publice propter persecutiones , poterant tamen convenire clam , & esse noti seu cogniti , uti factum primis trecentis annis Ecclesiæ Christianæ.

Ex his habes , amice Lector ! quod singula , quæ pro stabilien-  
da visibilitate Ecclesiæ Romano-Catholicæ in medium attulimus ,  
adeo nota , clara , conspicua , ac certa sint , ut a nemine , si vel

una sanæ mentis mica in ipso superstes inveniatur, ignorari queat.  
Quadrat huc illud Augustini ex lib. de duabus anim. c. 11. *Non  
ne ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poetæ, &  
indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis,  
& Antistites in locis sacris, & in orbe terrarum genus humanum.*

## Quæstio tertia.

*Num vera visibilis Ecclesia deficere & errare possit?*

**A**d uberio rem claritatem quæstionis hujus, quæ præcedenti ve  
maxime affinis, præmittendum est: non institui a nobis inqu  
gationem, an Ecclesia quæpiam *particularis* defectui, vel errori ob  
noxia sit; id enim fieri posse, jamque sæpius esse factum, ultro fe  
temur. Sed litigium devolvitur eo: utrum *tota* visibilis Ecclesia de  
ficere, vel in veræ fidei aut morum dogmatibus errare possit? Ad  
firmativam partem ambabus ulnis amplectuntur Hæretici omnes, qui  
*invisibilitatem* suæ Pseudo-Ecclesiæ magis firmaturi unanimiter alle  
runt: Ecclesiam Romano-Catholicam a vera fide defecisse. Ab  
eunt vero circa defectionis tempus in diversas, easque constupre  
ras sententias.

Prima est Lutheri lib. contra Papatum Tom. 7. dicentis: *con  
cidisse Ecclesiam ante annos fere sexcentos, nempe exactis mille  
post ortum Christi.* Placuit ea sententia Somniatori, quod esset scri  
ptum in Apocalypsi, Satanam per annos mille ligandum, ne gentes  
seduceret, postea solvendum.

Secunda sententia asserit: Catholicam Ecclesiam sexcentos *tra  
tum* annos perstitisse; mox circa ætatem Gregorii Magni corruisse.  
Sectati eam sunt idem Lutherus lib. de Captivitate Babylonica. *Cal  
vinus in Prophetas minores.* Et Melancton in locis com. Idque  
ob hanc causam, quod stolidissime putaverint: Gregorii Magni *sete  
te* captum esse invocare Sanctos, pro defunctis supplicare, & Missis  
celebrare.

Tertia est dicentium: Ecclesiam interiisse post annos a nato Chri  
sto trecentos; cum namque viderent nobiscum sentire Basilium, Am  
brosium, Augustinum, Hieronymum, cæterosque innumeros, *aut  
sunt* impudentissime comminisci: ab his impuram doctrinam primum  
traditam fuisse. Ita Melancton *in locis communibus* posterius editis.  
Ob

Ob id etiam nonnulli scripsere : primum fuisse Antichristum Zosimum Papam, eo, quod is Ecclesiae Romanae Principatum in causa appellationum contra Africanos tueri memoretur.

Quarta opinio tenet : ipso plane Apostolorum tempore Ecclesiam a vero deviasse ; docent enim Paulum errasse cum Titum circumcidit, cum voluit ingredi templum, caeteris omnibus adhibitis caeremoniis. Petrum similiter errasse, dum ritus Judaicos Antiochia obse-  
servavit.

Haecque & multa alia in Apostolorum Principes evomunt Magdeburgenses Cent. 1. Denique Beza tradit : Antichristum jam tempore Pauli advenisse, & in templi Divini, quod est Ecclesia DEI, sedem irrepsisse. Ast haec, & similia, mendacia sunt execranda, calumniae merae, & cavillationes ab orci faucibus eructatae, quas subsequa conclusio in fumum abire coget. Igitur

*Dico : Ecclesia sumpta pro universitate fidelium, vel pro universitate Episcoporum, non potest errare in iis, quae credenda proponit, sive ea expresse habeantur in scripturis, sive non. Consequenter infallibilis est, & deficere nequit, etiam in causis morum definiendis.*

Assertio haec est de fide, nititurque infallibilibus tum DEI, tum filii DEI promissis. Probatur 1. ex Scripturis, quae constantem, ac perpetuam fore in Ecclesia fidem testantur. Ita promisit DEUS apud Isaiam c. 59. v. 20. & sequentibus. Cum venerit Sion Redemptor -- hoc foedus meum cum eis dicit Dominus : Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quae posui in ore tuo, non recedet de ore tuo, & de ore seminis tui amodo, & usque in sempiternum. Oseae 2. dicit : sponsabo te mihi in sempiternum - & sponsabo te mihi in fide. Quod si Ecclesiae fides deficeret, jam Sponsi Christi, & Sponsae Ecclesiae Matrimonium dirimeretur, quorum tamen est indissolubilis, perpetuaque conjunctio.

Probatur 2do. Ecclesia universa, prout sinu suo complectitur omnes fideles, est Columna, & Firmamentum Veritatis. 1. Timoth. 3. v. 15, Porro Christus ait : Ego rogabo Patrem, & alium Paracli-

tum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis Joan. 14. Item Joan 16. Cum venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem. Jam juxta hanc promissionem teneat Christus ab Ecclesia omnem remove errorum, alias columna & firmamentum veritatis non foret. Nec dicendum cum Calvino, quod talis vocetur, quia fideliter custodit scripturas; sequeretur quippe etiam officinas librarias esse columnas veritatis: quo nil absurdius. Rursus Matth. 18. dicitur: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Ex quibus verbis concilia docent: nos sub Anathematis pœna teneri Ecclesiæ credere. Esset autem iniquum, si illa posset errare in iis, quæ credenda proponit. Denique Matth. 23 hæc habentur: quæcunque dixerint vobis servate & facite. Iterum Luc. 10. Qui vos audit, me audit. His jubemur a Christo audire Episcopos & Prælatos, prout Ecclesiam DEI repræsentant. Quod sane fidelis & justus DEUS præcepisset nunquam, si ipsi in rebus fidei, aut causis morum definiendis possent errare.

Prob. 3tio. Super hanc petram (ait Veritas) ædificabo Ecclesiam meam, & portæ æterni non prævelabunt adversus eam. Matth. 16. Quomodo igitur unquam deficere potuit aut poterit? Patet etiam ex illo Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quæ verba de perpetua Ecclesiæ duratione accipienda sunt, cum Discipuli, qui Christus ascensurus in cœlum, hoc dixerat, non essent victuri ad finem usque sæculi. Ergo.

Prob. 4to. Autoritate Patrum S. P. Augustinus lib. de symbolo ad Catechum. c. 6. ait: Ipsa est Ecclesia sancta - pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua; portæ inferorum non vincunt eam. Quod clarius; Idem sentit D. Ambrosius lib. de Salomone c. 4. Etsi (Ecclesia) undarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, nunquam potest sustinere naufragium. Huc accedit testimonium Divi Hieronymi in c. 4. Isaia; ubi inquit: Super petram fundata Ecclesia, nulla tempestate concutitur, nullo turbine subvertitur. Patet igitur Ecclesiam errare non posse. Nec dicendum: Sanctos Patres loqui de Ecclesia invisibili, ut caussantur Hæretici. Hæc enim non pugnat, nec impugnatur, nec fluctibus aut procellis quatitur, nec hæreses ex illa exeunt. Quia ista omnia visibiliter accidere oportet. Ergo. Prob.



Prob. 5. Ratione. Ecclesia sumpta pro universitate *fidelium*,  
 vel pro universitate *Episcoporum & Doctorum* in conciliis generali-  
 bus congregatorum *gubernatur* à Christo tanquam *Capite* suo. Er-  
 go semper erit extra errandi periculum, eo, quod à tali capite re-  
 gatur, quod nunquam errare potest. 2do. Extra Ecclesiam non  
 est *salus*. Ergo si Ecclesia *tota & visibilis* deficere posset, *salus* fie-  
 ret *impossibilis*, quis enim Ecclesiam ingrediatur, quam non videt.  
 3tio. Si Ecclesia posset desciscere a veritate, nemo foret *securus* de  
 sua fide, nec ipsi Lutherani, & Calvinistæ, cum eorum pariter  
*Ecclesia* errori foret obnoxia! 4to Populus Christianus pascitur  
 non solius fidei, sed etiam morum doctrina (intellige mores spe-  
 ctantes ad communem omnium salutem) Ergo in *his veritatis Ma-*  
*gistra infallibilis* esse debet. Alias gregi sibi commisso pascua ve-  
 neni plena præberet. 5to. Christus Ecclesiam universam *quoad ve-*  
*ritatem a se docendam* sibi assimilat, & eandem *Ecclesiæ* fidem ad-  
 hiberi cupit, quam sibi: nam Luc. 10. allocutus Apostolos, qui  
 tanquam pastores *tatam repræsentabant Ecclesiam*, dixit, *qui vos*  
*audit, me audit.* Et Matth. 23. hortatus cæteros omnes ad ob-  
 temperandum Ecclesiæ, præcepit: ut quæcunque dixerint nobis Pa-  
 stores, servemus, & faciamus. Ergo necesse est, Ecclesiam in Epif-  
 copis *repræsentatam*, in ullo puncto, sive fidei, sive morum, de-  
 ficere non posse.

Assertio hæc, momentis suis suffulta, tangit etiam causas de  
*Canonizatione* Sanctorum, de sensu librorum, seu *factis* dogmaticis,  
 nec non de *approbatione* Ordinum Religiosorum; nam & in his ju-  
 dicium Ecclesiæ *infallibilitatis* privilegio præditum esse oportet. Id  
 suadetur sic: quoad primum. Ecclesia est *sancta*, & canonizatio  
 est *publicum* Ecclesiæ iudicium, quo alicui, vitæ, & pietatis intine-  
 re emenso, *dulicæ* decernuntur honores. At, si Ecclesia in hoc  
 actu *impium*, orcoque adjudicatum proponeret colendum, tale ju-  
 dicium publicum præjudicaret Ecclesiæ *sanctitati*. Ergo Ecclesia  
 circa *infallibilis sit*, oportet.

Quoad secundum sic: Christus nunquam *deest* Ecclesiæ suæ in  
 iis, quæ *necessaria* sunt vel ad depositum *fidei* custodiendum, vel  
 ad *salutem* consequendam. Atqui ad hæc necessarium est omnino,  
 ut Ecclesia *docens* in Episcopis repræsentata, *veram* doctrinam in  
 libris expressam a peste errorum *infallibiliter* discernere possit. Er-

go in factis dogmaticis approbandis necessario debet esse infallibilis.

Quoad tertium sic: In ratihabitione alicujus ordinis Religiosi hoc Ecclesiae intervenit judicium: nempe *istum*, vel *istum* statum Religiosum esse *bonum*, *Evangelio conformem*, & perfectioni acquirendae *utilem*. Atqui in hoc judicio Ecclesia errare non potest; quia alias *malum* approbaret, si statum religiosum, verbi gratia hunc vel illum, etsi *Evangelio difformem*, proponeret ut *bonum* & imitandum. Ergo.

Adverte hic: aliter esse sentiendum in iis, quæ spectant vel ad mores personarum privatarum, vel ad facta quæpiam particularia, quorum cognitio pendet e testimonio fallibili hominum. In similibus quippe Ecclesiam a recto calle deflectere posse, nemo Catholicorum inficiatur. Exempli causa: si conjunctos *in foro fori*, habentes tamen *occultum* impedimentum dirimens, jubeat cohabitare, vel si innoxium excommunicationis fulmine feriat. Ratio præ foribus pulsatur: quia hujuscemodi error non est *juris*, sed *facti*, ut scholæ loquuntur. Eadem de causa in referendis Actis quorundam sanctorum menda irrepere posse ultro fatemur. Ast similia Ecclesiae *infallibilitati* in nullo officiant. His positis

### *Occurritur argumentis Adversariorum.*

Objicies I. Scriptum est: 3. Regum 22. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum* (qui erant quadraginti) ergo Ecclesia circa ætatem illorum defecit. II. Christus non vult *testimonium* habere ab homine. Joan. 5. quia omnis homo mendax. Ergo Ecclesia *qua* congregatio hominum fallibilis est, & defectibilis. III. Tempore passionis summus Sacerdos, & populus errarunt in contemnendo & ad crucem *petendo* Christo, prout constat ex historia Evangelii. Ergo *tota* Ecclesia ea ætate concidit; quia *omnis* populus clamavit: *crucifige*. IV. Testante eadem scriptura Discipuli, tempore, quo patiebatur Christus, *fidem* amiserunt, *scandalum* passi, fugientes, & increduli facti. Ergo Ecclesia in illis *repræsentata* agonizavit & defecit. V. Aaron Exodi 32. proposuit vitulum adorandum, & populus clamavit: *Hi sunt Dii tui Israel*. Si igitur Ecclesia veteris Testamenti defecit, & deficere potuit,

potuit, cur non Ecclesia Christi? VI. Elias 3. Regum. 19. dicit: *Zelo zelatus sum pro Domino DEO exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio. Derelictus sum ego solus.* Et quid his innuitur, nisi Ecclesiam errasse? Ergo. VII. Sacra scriptura 2. Paralip. 15. ait. *Transibunt dies multi in Israel absque DEO vero, & absque sacerdote, doctore, & absque lege.* Ergo manifestum fit, extingui potuisse & posse ad tempus Ecclesiam. VIII. Daniel. 9. dicitur: *Deficiet hostia, & sacrificium, si sic.* Ergo Ecclesia a deficiendi periculo non est immunis. IX. Luc. 18. Christus ait: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Cum igitur Salvator ipse quodammodo dubitet de permanentia fidei, Ecclesiam, et si veritatis columna appelletur, corruere posse dicendum est. X. Ecclesia deficiet a fide tempore Antichristi, ut prædixit Apostolus 2. Thessal. 2. *Nisi venerit discessio primum (id est defectio a fide) & revelatus fuerit homo peccati; id est Antichristus.* Sed jam pridem revelatus est Antichristus, quem constat esse Pontificem Romanum. Ergo jam pridem Ecclesia defecit a fide. XI. Matth. 24. legitur: *Surgent multi Pseudochristi, & Pseudoprophetae, & dabunt signa & prodigia, ita, ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi.* Et quid hoc vaticinium inculcat? nisi futuram Ecclesiae defectionem. Relinquitur proin tanquam certum, Ecclesiam errandi periculo esse expositam.

Hæc sunt argumenta, quæ Hæretici e scriptura ceu messe quampiam, hinc inde illegitima falce excidunt. Verum servatis granis, statim ipsis stramen devorandum obtrudemus. Respondeo igitur ad I. Ex I. textu adducto non evincitur Ecclesiam errasse, quia agitur ibidem de *Pseudoprophetais*, non vero de Prophetis Domini. Et ideo illi quadrigenti spiritu mendacii repleti non aliter pertinebant ad Ecclesiam, quam *Prædicantes Hæreticorum*. Ad II. R. Nego Christum nolle habere testimonium ab *homine*, nam Joan. 1. & Joan. 15. testimonium Joannis & Apostolorum admittit. De reliquo testimonium Ecclesiae non est pure *hominum*, sed Dei continuo Ecclesiae suae assistentis. Ad III. R. Synagoga privilegium *non errandi* tantum habuit usque ad tempora Christi. Deinde falsum est omnem populum clamasse *crucifige!* Non clamavit Joseph, non Nicodemus, non Discipuli, non Mater Christi &c. Ad IV. R. Apostoli tunc erant tan-

tum Episcopi designati, non adhuc confirmati a Spiritu Sancto. quomodo probabitur eos fidem amisisse? cum tamen Christus dixerit Luc. 22. *rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Deinde scandalum significat peccatum fugæ, & incredulitas tarditatem in credendo. Ad V. dico: Aaron tunc non erat summus Pontifex, sed Moyses. Dein falsum est omnem populum clamasse: *Hi sunt Dii tui.* Erant enim Levitæ omnes immunes, ut patet ex versu 26. ubi Moyses ait: *si quis est Domini, jungatur mihi: congregatique sunt ad eum filii Levi.* Ad VI. R. Populus Israel & Judæorum tunc non constituebant universam Ecclesiam, nam etiam extra Synagogam dabantur fideles, ut Melchisedech, Job, Ninivitæ, & alii. Elias autem non de toto Israele, sed de illa parte, quæ sub Rege Samariæ erat loquitur. Hinc dicit Dominus v. 18. *& derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baalim.* Ad VII. Respond. quod sermo sit de Israële tantum, non vero de Juda; ergo non de tota Ecclesia. Deinde videtur loqui textus de tempore post Messiae adventum; quo facto, in Judæis hæc vera esse videmus. Ad VIII. R. sub distinctione: deficient, & defecit Sacrificium Moysis, non autem Ecclesiæ. Deus quippe Moyse nunquam promittit id, quod Ecclesiæ. Ad IX. R. Non esse sermonem de fide simpliciter, sed de eximia quapiam, & viva fide, quæ in paucis reperitur, sic exponente Hieronymo in Dialog. contra Luciferianos, & Augustino lib. de Unitate Ecclesiæ c. 13. Posito autem, quod sit sermo de fide simpliciter, quæro: quomodo fidem veram habent, aut habebunt Lutherani & Calvinistæ? Certe filius hominis veniens nullam in eis inveniet fidem. Ad X. Ajo: calumnia execranda est: dicere: Romanum Pontificem esse Antichristum. Hæretici quidem id blaterant, at non probant. Si autem Antichristus jam venit, fateri debent, quoque à fide jam descivisse, cum & ipsi suo iudicio fideles dici velint. Apostolus igitur prædicit: non quod tota Ecclesia, sed magna pars fidelium tempore Antichristi sit defectura a fide. Quod mirum non est, cum a tempore Apostolorum singulis ætatibus aliqui defecerint, ut Nicolaitæ, Marcionistæ, Novatiani, Donatistæ, Ariani, Hæretistarum, Lutherani, Calvinistæ, & nunc omnis Indifferentistarum, Syncretistarum, Libertinorum grex & fæx. Brevius respondetur sic: quod per ultimam illam defectionem seu discessionem, cujus scriptura meminit, intelligi debeat rebellio, qua pleræque & passim omnes gentes

gentes deficient ab Imperio Romano. Ita explicant Ambrosius, Primasius, & Sedulius. Ad XI. dico: locus Matth. 24. per Pseudoprophetas esse multos *in errorem inducendos*, locus in quam ille contra Ecclesiam nihil probat, quia magnam solum futuram persecutionem ostendit, non autem quod *omnes* in errorem sint inducendi; hoc enim fieri non posse ex ipso Scripturæ textu colligitur, qui ideo addit, *si fieri posset*. Quod ipsum etiam Christus affirmat dicendo: Matth. 24. *Multi Pseudoprophetae surgent, & seducent multos*. Ergo non omnes.

Objicies 2do. Ex Patribus. S. Hieronymus in dial. contra Luciferian, dicit: *Miratus est universus orbis se esse Arianum*. Ergo tempore Arianismi, præsertim in Concilio Ariminensi Ecclesia defecit. II. D. P. Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas c. 5. asserit: *Concilia priora posterioribus emendari posse*. Sed Concilia representant Ecclesiam: Et quod emendari potest, supponitur errori obnoxium. Ergo Ecclesia in fidei & morum causis vere fallibilis est.

III. S. Gregorius Nazianz. in Epist. sua 55. ad Procopium sic loquitur: *Ego si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam; quoniam nullius concilii finem lætum, & faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, & incrementum non habuerit &c.* Si igitur Concilia abusus, & mala non depellunt, sed potius eisdem incrementum præbent, confectaneum est. Ecclesiam *docentem* in conventu Episcoporum representatam, cæspitare posse, in quacunque tandem fuerit via, sive fidei, sive morum. IV. S. Ephrem serm. de Antichristo ait: *Omnes communi voto, parique sententia, summo cum gaudio ipsum (Antichristum) constituent regem*. Ergo idem quod pridem. V. Magnus ille Ecclesiæ Doctor D. Aurelius Augustinus Epist. 50. aperte omnimodæ indefectibilitati Ecclesiæ contradicit dicendo: *Quando sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, Ecclesia non apparebit*. Ergo.

Respondeo ad I. Negando Antec. & Conseq. Licet enim Patres in Concilio Ariminensi propositionibus Arianorum subscripserint, id tamen factum est *ex deceptione, inadvertentia, & præter intentionem*, eo quod propositiones illæ apparenter pietatem saperent, & sensum Catholicum sonarent. At detectis technis, & deprehenso veneno Arii illico omnes palinodiam cantarunt, subscriptionem retractando. Unde *materialiter* solum, non *formaliter* hæretici dici

poterant ; *tales* quippe non fiunt , nisi volentes , scientes , obstinati  
& pertinaces. Nec te moveat : *totum mundum miratum fuisse se esse*  
*Arianum* ; nam D. Hieronymus *hyperbolice* hoc dixit , nihilque aliud  
insinuare voluit , quam quod plures Episcopi & Laici *inadvertenter*  
admiserint formulam fidei , in illo concilio adversus consubstantialita-  
tem Filii cum Patre , fraudulenter & æquivoce propositam. Idcirco  
agnita fraude *miratus est* universus orbis. Demum false inferitur : *un-*  
*versum* orbem eo tempore incidisse in errorem Aarii. Id , quod pro-  
tet ex enumeratione Provinciarum Nicænæ fidei adhærentium , quam  
enumerationem facit Athanasius Epist. de fide ad Jovinianum Impera-  
torem apud Theodoretum lib. 4. c. 3. ubi recensent Ecclesias Hispa-  
niæ , Britanniaë , Galliaë , Italiaë , Campaniæ , Dalmatiæ , Daciaë , Ma-  
cedoniaë , Achayæ , Ægypti , Libiæ , Ponti , Cappadociaë &c. quarum  
nulla Concilio Ariminensi subscripsit. Ad II Explico : Concilia prio-  
ra posterioribus emendari possunt in rebus *facti* , do. In rebus *fidei*  
vel in causis *morum* ad communem fidelium salutem spectantium , vel  
in *factis dogmaticis* , seu in sensu librorum approbando Nego. In  
his enim punctis Ecclesia *docens* in Conciliis Oecumenicis repræsen-  
tata ab omni errandi periculo est immunis ob promissiones a Christo  
sibi factas , & specialem Spiritus Sancti assistentiam. Quod vero D.  
P. Augustinus de quæstionibus *facti* sermonem habuerit , suadetur ex  
ipsius verbis eodem in loco citatis , ubi inquit : *Concilia priora poste-*  
*rioribus emendari possunt , cum nempe aliquo experimento rerum aper-*  
*ritur , quod clausum erat , & cognoscitur quod latebat.* Quæ verba  
certe ad fidei veritatem referri haud possunt , eo quod hæc non rerum  
experimentis , sed ex verbo Dei scripto vel tradito innotescat. Ad III  
dico : S. Gregorium non negare cum fructu celebrari posse Concilia ;  
ipsemet enim Concilium Nicænum primum generale summis laudibus  
commendavit , & secundi Constantinopolitani adversus Macedonium  
pars maxima fuit. Unde non *Juris* sed *facti* quæstionem asperiori-  
bus illis verbis in sua Epistola perstringit ; vivebat enim tempora , quibus  
ex Conciliis particularibus magis Arianis , quam Catholicis fa-  
vor accreverat , fraude & dolo ipsis patrocinate , & horum infaustum  
fuisse exitum conqueritur. Inter hujusmodi Concilia numerari pos-  
sunt Selevciense , Ariminense , Syrmiese &c. Vocatus igitur a Pro-  
copio nomine Imperatoris ad aliquod non absimile Concilium , excu-  
saverat se ipsum , partim infirmam suam valetudinem , partim non  
fau-

faustum Conciliorum *particularium*, quæ viderat, finem obtendendo. Hinc infallibilitatem Ecclesiæ, verbis suæ Epistolæ minime impugnat. Ad IV. R. Sanctum Ephrem non loqui de omnibus *absolute*, sed de omnibus, id est: de *multis* ab Antichristo in errorem inducendis. Adeoque Ecclesiæ universalis firmitati, ac iudicio infallibili non adver-  
satur. Ad V. Dico: quod Ecclesia duplici gaudeat conspiciuitate, una *essentiale* consistente in publica veræ in- & externæ fidei professio-  
ne, nec non in Sacramentorum usu, & legis Christi observantia. Al-  
tera *accidentali*, consistente in apparatu, atque splendore extrinseco; exempli gratia: habere templa magnifica, sine metu ad linguam, & sonitum campanarum frequentare aperta pietatis Christianæ munia &c. Illa semper perdurabit fulgida; hæc subinde persecutionum pulvere non nihil obscuratur.

Quid ad hæc Hæretici? percipite Ambrosium lib. 4. Hexameron c. 2. ita differentem: *Ecclesia tempora habet persecutionis, & pacis* (addo ego: impugnationis, & contradictionis) *videtur sicut luna deficere, sed non deficit. Obscurari potest, deficere non potest.*

Objicies 3tio. Argumenta a ratione petita. I. Ecclesia Roma-  
no-Catholica incassum titulo indefectibilitatis gloriatur, quia dog-  
mata *hodie* sustinet longe diversa ab iis, quæ a *cunis suis* sectabatur; docet enim cultum imaginum esse licitum, offert sacrificia pro ani-  
mabus purgantibus &c. Quorum omnium nulla in Ecclesia primæ-  
va præextitere vestigia. Ergo manifestum est, eam a vero deviasse,  
& errare posse, cum ab actu ad potentiam bona sit illatio. II. Catho-  
licus infallibilem Ecclesiæ auctoritatem probat ex *scripturis*, & vicif-  
sim: hanc Scripturam esse verbum Dei ostendit ex Ecclesiæ auctori-  
tate. At hujusmodi argumentandi genere committitur circulus vitio-  
sus, quia fit petitio principii, & reditur *in idem*. Ergo Cicero pro  
domo sua nil probat. III. Episcopi in confessu Oecumenico congre-  
gati, homines sunt, qui *nihil humani* a se alienum arbitrantur, cum  
*singuli* in suffragio ferendo errare possint. Ergo *omnes*, & in omni-  
bus tota Ecclesia, quia ex suffragiis errori obnoxiiis *Veritas* certo eli-  
ci non potest. IV. Ecclesia sive credendo sive definiendo est *libera*.  
Ergo errandi periculo subdita. V. Mortuo summo Pontifice nontan-  
tum *vacat* Sedes Romana, sed & *deficit* tota Ecclesia, sicut abscisso  
capite deficit corpus. Ergo.

Respondeo ad I. Nego : Ecclesiam diversa ab iis, quæ olim se-  
rabatur, sustinere dogmata, credit enim, & docet nunc, quæ prius  
semper pro semper credidit, docuit, & exercuit. Unde falsum est:  
nulla eorum, quæ objiciens assignat, in primitiva Ecclesia præexistisse  
vestigia ; puta, quoad cultum imaginum, & oblationem sacrificiorum  
pro mortuis &c. Audiantur Patres ! Athanasius Alexandrinus, qui  
vixit anno 340. in Interrogationibus, & Responsonibus ad Antio-  
chum Principem c. 38. dicit : *absit, ut quemadmodum Græci faciunt,*  
*nos Christiani tanquam Deos imagines adoremus. Affectionem dum-*  
*taxat, & charitatis nostræ studium erga figuram personæ per ima-*  
*ginem expressæ declaramus &c.* En ! cultum imaginum ab immemo-  
rabili tempore exerceri solitum. Denique Tertullianus, qui vixit an-  
no 200. de corona Militis c. 3. ait : *oblationes pro defunctis facimus.*  
*Harum, & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem postules, scriptu-*  
*rarum nullam invenias. Traditio tibi prætenditur Auctrix, con-*  
*suetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

Ad II. Resp. Non nos Catholici, sed potius ipsi Sectarii ambu-  
lant in circulo vitioso, qui Verbum Dei scriptum in hoc, vel illo libro  
recipiunt propter testimonium Spiritus interni privati ; & vicissim  
Spiritum hunc privatam in illis testificari probant ex Verbo Dei scri-  
pto. Respondeo igitur directe, quod in dicta argumentatione nequa-  
quam comittatur circulus vitiosus ; quia hæ duæ propositiones : *Ec-*  
*clesia est infallibilis.* Et altera : *Hæc scriptura, declarans Eccle-*  
*siam fore infallibilem, est Verbum Dei,* non probant sese mutuo ex  
eodem motivo, seu in eodem genere causæ. Auctoritas enim Eccle-  
siæ probat veritatem Scripturæ quasi a posteriori, & tantum velut  
regula animata, vel tanquam causa ministerialis intermedia. Aucto-  
ritas vero Scripturæ probat infallibilitatem Ecclesiæ a priori, ceu ra-  
tio formalis motiva. Eo fere modo, quo in physicis causa instru-  
mentalibus non influit, nisi virtute causæ principalis. Et in moralibus  
auctoritas v. g. Regis proposita per auctoritatem Magistratus ab ipso  
instituti sic me movet ad obediendum, ut neutra moveat sine altera.  
Non enim obedio Magistratui, nisi quia Rex, a quo ille institutus est,  
per ipsum nobis suam voluntatem proponit. Nec obedio Regi, nisi  
prout ejus voluntas per Magistratum, ministrum suum mihi innotet.  
Ad III. Dico : Illationem a sensu distributivo ad collectivum,  
qualis est supra posita non valere. Unde quamvis singuli Episcopo-  
rum



rum errare possint; non tamen de omnibus, ut unitim Ecclesiam re-  
præsentantibus, id affirmandum. Ratio in promptu est: quia pro-  
missio infallibilitatis non singulis seorsim, & *distributive*, sed omni-  
bus simul, & *collective* fuit facta. Præsertim quia *Præsidentem* & *assi-*  
*stentem* habent Spiritum Sanctum. Ad IV. Ajo: Ecclesiam quidera  
tam circa credenda, quam circa definienda esse *liberam*. At non ea  
libertate, qua liberi sunt omnes moderni temporis Hæretici, qui ho-  
die Chymeram albam adorant, cras nigram pro salute consequenda  
sufficientem esse docent, definiunt, credunt. Et hoc *pro libitu*. Et  
hoc ubique locorum *aliter*. Nos Cotholici alterius mentis sumus;  
Dicimus quippe Ecclesiam fore liberam libertate *contradictionis*, non  
autem libertate *contrarietatis*. Suppositis igitur Christi promissio-  
nibus potest quidem *non credere* præcise secundum se, quod sufficit  
ad libertatem. Non potest tamen *contrarium* fidei, & bonis mori-  
bus credere; quod requiritur ad errorem. Paritas est in Christo li-  
bero, & impeccabili circa præceptum moriendi sibi impositum. Ad  
V. Inverto argumentum: Mortuo Luthero aut Calvino omnes eo-  
rum sequaces facti sunt Catholici. Dicent Sectarii negamus Antece-  
dens. Ergo dum nobis Catholicis objicitur: quod mortuo summo  
Pontifice ac Sede Romana vacante deficiat *tota* Ecclesia, recte nega-  
mus consequentiam. Itaque exemplum nuper adductum, procedit  
tantum de abscisso capite *naturali*, post cujus abscissionem *necessum*  
est *corpus*, ut ita dicam, in nihilum abire; non vero valet de summo  
Pontifice, ceu capite *morali*, quod mortis falce a corpore morali se-  
catur. Quare? quia non est tanta dependentia corporis politici a ca-  
pite morali, quanta est corporis naturalis a capite naturali. Hoc  
quippe abscisso statim moritur corpus. At non sic de capite morali.  
Mortuo enim v. g. Rege Galliae non deficit Monarchia. Similiter ex-  
tincto Papa non interit Ecclesia, sed permanet Sedes Romana, & So-  
cietas fidelium sub regimine suorum Pastorum, parata acceptare su-  
premmum caput eligendum.

Objicies 4to. Ecclesia nuncupatur ab Evangelio *Columna*,  
non *active* quasi fulciat, aut suis humeris portet veritatem, sed *pas-*  
*sive*, quia nimirum sustentatur a veritate. Illud autem, quod su-  
stentatur, deficere & cadere potest. Ergo II. Columnæ non sunt  
*perpetuæ*, sed frequenter a vetustate, aut tempestate evertuntur.  
Ergo etiam Ecclesia. III. Intellectus non est firmior voluntate. At

dæmon potest *universaliter* voluntatem fidelium inducere in gravissima peccata. Ergo etiam omnium intellectus, proin *universam* Ecclesiam implicare erroribus. IV. Ecclesia nullo decreto suam in factis *dogmaticis* infallibilitatem definivit. Ergo videtur ipsa sentire, se posse deficere; atque adeo *de fide* non erit, eam in approbando, vel condemnando sensu librorum a defectionis semita esse exemptam. V. Ecclesia non potest ferre sententiam de sensu alicujus libri, nisi *dependenter* a regulis grammaticis. Atqui de his & circa has nulla ei *inerrantia* est promissa. Ergo. VI. Julius Papa, & concilium Sardicense *ratihabuit* librum Marcelli Ancyran, quem postea Basilius, Chrysostronus, imo & tota Ecclesia e Scribnis Bibliothecarum Catholicarum in exilium relegavit, *reprobando* ipsum ut codicem hæreticum. Ergo idem quod prius.

Respondeo ad I. Patres, quos est videre apud Cornelium a Lapide, unanimiter dicunt: Ecclesiam vocari *columnam*, & firmitermentum veritatis tam active, quam passive. *Active* quidem, quia per fidem omnes fideles firmat. *Passive* autem, quia in fide & veritate firmatur a Christo per promissam infallibilem Spiritus Sancti assistentiam. Et hinc inepta est illa expositio, qua dicitur: Ecclesiam esse *columnam* passive, quia sustentatur a veritate; sicut inepte diceremus aliquam *columnam* esse *columnam* pavimenti, quia innititur pavimento. Ad II. R. *Columnæ materiales* non sunt perpetuæ &c. Concedo. *Columna mystica* fundata super petram, qualis est Ecclesia. Nego. Deinde dico: Ecclesiam militantem non fore quidem perpetuam, sed desituram in fine mundi, juxta illud: *cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* I. Corinth. 13. Attamen non desinet citius ob factam sibi promissionem stabilitatis a Christo dicente: quod portæ inferorum adversus eam non sint prævalituræ. Ad III. Nego Maj. nam *intellectui* universalis Ecclesiæ est promissa infallibilitas *in fide*, non autem *voluntati* stabilitas *in bono*. Unde Christus non dixit: *rogavi pro te Petre, ut non deficiat charitas tua, sed ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. Præterea Minor *universaliter* intellecta laborat falsitate, siquidem *tota* Ecclesia nunquam ita vitiorum sentinæ immergitur, ut non semper aliquos in gremio suo numeret Sanctos, & gratia illustres. Quod patet ex nuper adductis, ubi & grana & paleas, seu justos & peccatores *Aræ* Ecclesiæ incorporavimus. Ad IV. Dico:

eo: Etsi Ecclesia *expressis verbis* suam in factis dogmaticis infallibilitatem non deciderit; definivit tamen illam *facto*, seu usu constanti & praxi, quia anathemate ferit illos, declaratque ut Hæreticos, qui *decretis* ab ipsa conditis circa facta dogmatica libellum repudii dant, & pertinaciter resistunt. Quæ agendi ratio certe sufficiens debet censei suæ infallibilitatis definitio; consequenter de fide est: Ecclesiam in librorum censura errare non posse. Ad V. Data Maj. distinguo Minorem. Circa regulas grammaticas nulla ei promissa est *inerrabilitas simpliciter, & absolute*. Transeat. In quantum necesse est, ut non erret circa sensum librorum *theologicè* sumptum. Nego. Dicendum itaque, quod, etsi propositio quæpiam peccaret contra regulas grammaticales, puta hæc: *mandata DEI sunt observatu impossibiles*, posset nihilominus Ecclesia infallibiliter judicare, quis sit ejus sensus Theologicè sumptus; an videlicet dogma conforme, vel contrarium fidei significet. Et hoc ob præsidium Spiritus divini, de cujus providentia est: etiam usum rectum regularum grammaticalium aperire, errores scholasticos impedire, aut saltem non impeditos cito eliminare. Ad VI. Ajo: quod liber Marcelli Ancyranus, dum fuerat a concilio Sardicensi & Julio Papa approbatus, nihil fidei adversans continuerit. Nam articulos, de quibus arguebatur, non proposuit *assertive*, sed disputative duntaxat, seu per modum quæstionis resolvendæ, ita testantibus Patribus Synodi Sardicensis. At postinde quæ nude proposuerat, in aliis operibus manifeste in sensu hæreticali asseruit. Unde merito, fraude detecta, prior liber a pluribus Patribus anathemate fuit confixus; non quidem præcise secundum se, & *ut in se*, sed respective ad errores posteriores pertinaciter assertos. Movebantur igitur Patres ad reprobandum librum Marcelli hac ratione: quia propositio, licet secundum se vera, ut prolata tamen ab Hæretico potest esse imo per sæpe est a veritate aliena. Sic hæc: *Pater major me est*, in ore Christi erat verissima. In ore Arii falsa, ac hæretica, cum Divinitatem Redemptoris hac ipsissima thesi impugnarit.

Objicies ultimo. Sanctorum *canonizatio*, qua ipsis cultum publicum deferre jubemur, haud dubie *affinis est lineæ morum*. Atqui in hac Ecclesia potest falli; cum iudicium illius, quo hunc, vel illum Sanctum, ut honorandum proponit, a testimoniis hominum pendeat, quibus pronum est: falli, & fallere. Ergo saltem in rebus

bus morum non erit infallibilis veritatis Magistra. II. Multorum corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna, teste Augustino. Ergo Ecclesia tam circa cultum, quam circa canonizationem Sanctorum potest errorum scopulis immergi, & immersa potestati inferni succumbere. III. Ecclesia non modo inutiliter, sed & noxie quosdam Religiosorum Ordines approbavit, ut patet in Templariis prius approbatis, postea extinctis; & tamen institutio ac rati habitio ordinum vel maxime ad genus morum spectat. Ergo potest &c. IV. Omnibus certum est: recitationem Officii Ecclesiastici, seu Breviarii pertinere ad lineam morum. At etiam certum est: multa in eo contineri facta historica apocrypha & falsa, quin & interdum errores. Ergo idem quod prius. V. Dato, quod Ecclesia circa res fidei omnimoda gaudeat infallibilitate, hanc tamen non habet circa mores; nam nullibi legitur: *rogavi pro te ut non deficias in rebus morum approbandis*, sed tantum *ut non deficiat fides tua*. Ergo. VI. Nihil tenemur credere, nisi quod est vel *implicite*, vel *explicite* revelatum. Atqui non est revelatum: hanc, aut illam *discipline rationem* esse inducendam, v. g. utrum danda vel deneganda sit infantibus Eucharistia? utrum Laicis sub una, vel duplici specie synaxis debeat ministrari &c. Ergo non tenemur credere Ecclesiam in hujusmodi rebus errare non posse. VII. Ecclesia aliquando *mutat* suas leges, & quæ uno tempore præcipit, altero prohibet; aut *vicissim*. Ergo non est infallibilis circa mores.

Respondeo ad I. Nego Min. Licet enim iudicium Ecclesie in Canonizatione Sanctorum à testimoniis hominum pendeat, de fide nihilominus est; ipsam errare non posse in hac universali doctrina: *quod canonizati ceu Sancti sint colendi, & invocandi*. Deus enim Ecclesie suæ in actu Canonizationis *peculiarî* modo assistit, providetque, ne unquam erret, etiam tunc, cum sequitur testimonia hominum. Porro hæc testimonia quamquam singula seorsim non moveant, movent tamen omnia ut concatenata, & irradiata a Spiritu Sancto, in ordine ad fidem faciendam; juxta illud: *in ore duorum vel trium stat omne verbum*. Et vis unita fortior. Item Veritas ait: *ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi in medio eorum sum*. Quid multis? Vox populi vox Dei; id est: Ecclesia in quovis canonizationis negotio innititur testimonio humano non *pure tali*, sed suffulto Providentia Divina ita dirigente labia virorum testantium, ut

ut etiam linguas infantium, causa exposcente, faciat dissertas. Ur-  
geo: Miracula quoque, quæ operatur Deus ad invocationem Sancto-  
rum, iudicium Sedis Apostolicæ in canonizationis causa confirmant,  
cum illa in hoc puncto sint Divinæ attestations, obligantes nos ad  
cognoscendam omnipotentiam illius, *qui facit mirabilia solus*. Acce-  
dit, quod Ecclesia ad discernendum miracula vera ab illusoriis ma-  
ximum semper adhibere soleat examen. Tot igitur motivis credi-  
bilitatis quis, nisi perfrictæ frontis homo fidem negare audebit? De-  
nique multum refert ad *communes* Ecclesiæ mores, scire, quinam  
sint cultu *dulci* digni, aut quos populus Christianus ut cæli incolas  
colere debeat. Hos autem nobis monstrat Ecclesia, dum modo hos,  
modo illos Sanctorum Albo inserit, insertosque palam colendos pro-  
ponit. Proin Eam in hoc tanti momenti puncto infallibilem esse  
oportet; alioquin Deus eidem in necessariis deesset.

Quodsi tamen per accidens, & *errore facti* Ecclesia falleretur  
in cultu decernendo alicui, quem Sanctum existimat, qui reapse  
non est, adhuc vera foret, & infallibilis ipsius doctrina *generalis*, &  
publica, qua docet honorandos esse Sanctos; nam error ille esset so-  
lummodo *error facti*, non vero *Juris*, seu dogmatis. Exemplum  
accipe in hostia, quam quis adorat, putans esse consecratam, cum  
tamen consecrata non sit. In hoc quippe casu interveniret per ac-  
cidens *error facti particularis*, qui doctrinæ *universali* Ecclesiæ de  
hostia consecrata adoranda minime præjudicaret. Ad II. R. Primo:  
hanc sententiam (quæ autem in operibus S. P. Augustini nullibi le-  
gitur) intelligi posse de *Regibus & Monachis Ethnicis*, qui cum vel-  
lent immortalibus rebus immortales reddi erexerunt super eorum ci-  
neres, ossa, & mumias superba monumenta, quæ à posteris respi-  
cerentur: talia fuere pyramides in Ægypto, sicut & Mausolæum  
Artemisæ &c. R. 2do. Intelligi de corporibus *suppositis* loco ve-  
nerabilium Reliquiarum. R. 3tio. Posse intelligi de *Martyribus*  
*Donatistarum*, quos Hæretici venerabantur. R. 4to. Referri posse  
ad Heroes profanos, quos diabolica versutia deificavit; Ecclesia  
autem Catholica, Deo impediente, nunquam talia monstra colenda  
proposuit, aut proponere potest, utpote Sancta, ac infallibilis ve-  
ritatis Magistra. Ad III. Absolute negandum est Antecedens, una  
cum illatione. Quia Ecclesia universa (utpote à Deo *docente illum*  
*milia*) confortata & illuminata nullo tempore potest approbare in-


stituti alicujus regulam, quæ aut errorem contineat contra fidem, aut vitium bonis moribus ad communem omnium salutem spectantibus adversans. Nec obstat, quod olim ad hunc vel illum ordinem extinguendum, aut supprimendum compulsæ fuerit; nam hoc non vitio Ecclesiæ ordinem primitus instituentis & approbantis factum est, sed quia *Profitentes* à prima regulæ & Instituti sanctitate, ceu discipuli degeneres, propria culpa desciverunt. Hanc defectionem prævidit Christus dicendo: *refrigescet charitas multorum*. Vd IV. Jam diximus: Ecclesiam in quibusdam Martyrum & Sanctorum factis *historicis*, Breviario hinc inde insertis errare posse. At tamen hoc ejus *infallibilitati* circa mores, nil adfert nocementi, cum tota Ecclesia Breviariorum nunquam susceperit examen. De erroribus vero, qui dicuntur in illud interdum irrepsisse, puta contra fidem, aut bonos mores, purum, putumque est Hæreticorum figmentum, & sic in fumum abit totum ipsorum argumentum. Ad V. Permittimus: quod nullibi legatur: *rogavi pro te (Ecclesia) ut non deficias in moribus*. At sicut una hirundo non est nuntia Veris, ita una hæc objectio non est affirmatio veri; seu non potest Ecclesiæ infallibilitatem circa mores approbandos evertere. Quod probo: quando Christus spondit se daturum esse Spiritum sanctum, qui Ecclesiam doceret *omnem veritatem* pertinentem ad fidem, tunc non potuit non Eidem etiam promittere infallibilitatem quoad doctrinam morum concernentium salutem communem; quia veritas agendorum non minus est necessaria ad vitam æternam consequendam, quam veritas credendorum. Utraque enim sternit viam ad Cælum; utraque comitatur euntes in domum æternitatis, cum fides, teste Apostolo, sine operibus mortua sit, & opera credentium sequantur illos. Ergo. Ad VI. R. Revelatum quidem *immediate* & *explicite* non est, *hanc* vel *illam* disciplinam aut praxim esse statuendam, observandamque. At *revelatum* est, quod Ecclesia universalis in omnibus, quæ dicit, docet, facit, præcipit, vel prohibet, debeat audiri. Unde non solum temerarium & irreligiosum, sed & contra fidem suo modo foret: Eidem causas morum decidenti nolle obtemperare. Ad VII. Dico: Ecclesia quandoque mutat suas leges in iis, quæ spectant *ritus* quosdam aut disciplinam; non vero in his, quæ sunt *intrinsece* bona vel mala. Quemadmodum igitur bona vel mala ab intrinseco talia sunt *invariabilia*, ita leges Ecclesiæ circa ea sunt *immutabiles*. Cæremo-  
niæ

niæ e contra, aut alia hujus fori, attentis temporum ac locorum circumstantiis, non semper æqualiter utilia sunt; hinc subinde expedit, ut mutantur. Hæc tamen mutatio in nullo obest Ecclesiæ, ejusque infallibilitati, quia veritas Domini manet in æternum.


Ex omnibus, quæ de membris, visibilitate, & indefectibilitate Ecclesiæ hucusque dicta fuere, manifeste relinquitur, unumquemque Catholicum habere certitudinem, se esse in vera Fide, & errare non posse in rebus seu Religionis, seu fidei, si sentiat id, quod tota sentit Ecclesia.

Hanc ipsissimam regulam D. P. Augustinus perpetuo tenuit, ut suis locis apud eundem est videre, definivit quippe juxta eam: orandum esse pro defunctis; parvulos debere baptizari, librum Matthæi esse Canonicum, & plura alia puncta. Econtra Sectarii contendentes Ecclesiam esse fallibilem, nullam sibi promittere possunt securitatem de fide, cum totam suam Pseudo-Ecclesiam errare posse, ex propriis ipsorum principiis inferatur, ac aperte probetur. Demum si verum foret: Ecclesiam Romanam quoad totam suam Universalitatem errasse, aut Sponsam Christi adulterio se aliquando commaculasse, sequitur: omnes Hæreticos esse filios spurios & adulterinos. Tum quia ipsorum Ecclesia ex Romana nata est. Tum, quia illorum proto-parentes, Ebion, Cerinthus, &c. Hufs, Zwinglius, &c. Calvinus, Lutherus &c. ex Ecclesia Romana prodierunt, & ab illa turpiter apostatarunt. Quod lippis etiam, ut fert adagium, tonsoribusque notum.

*Omnibus in verbis sit vera Ecclesia Judex.*



*[The text in this section is extremely faint and illegible, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.]*





# A S S E R T I O N E S

## T H E O L O G I C A E

### E X T R A C T A T I B U S

#### D I V E R S I S D E P R O M P T A E .

##### I.

**S**Ex dierum naturalium intervallo Mundum fuisse conditum paginae sacrae testantur; atque adeo ordo creationis in Genesi expressus, non meros dies Angelicos importat.

##### II.

Adam omnium hominum primus è manu Conditoris prodiit. Unde nulli Orbis incolæ, vocati Præ-Adamitæ, ante ipsum extitère. Est contra Peyrerium Calvinistam.

##### III.

Antiquus ille hostis diabolus, seducendo Evam in paradiso, usus fuit veri Serpentis organo. Nec audiendi sunt, qui nomine serpentis metaphoricum quid intelligunt.

##### IV.

#### IV.

Facta igitur prævaricatione prima, Mors introivit in mundum, & pertransiit in omnes. Idcirco dari peccatum originale & fides docet, & sacra Concilia aduersus Pelagium, aliosque definiunt.

#### V.

Hoc, formaliter consistit in privatione gratiæ sanctificantis, connotante peccatum Adami præteritum, ceu causam.

#### VI.

Porro quamvis culpa originalis in totam Adæ Posteritatem transplantetur, ab ea tamen B. M. Mariam, sicut & à debito proximo labem hanc incurrendi, peculiari Dei privilegio exemptam sustinemus.

#### VII.

Parvulos etiam, cum solo originali decedentes ab omni poena sensus immunes esse futuros, nobis probabile est.

#### VIII.

Veram hominis beatitudinem objectivam in nullo bono creato, sed in solo Deo plene possessio locamus.

#### IX.

## IX.

Ex quo infertur: Comprehensores non fore perfectè beatos, si Deum, solum ut Unum, non vero ut Trinum intuerentur.

## X.

Demum assecutionem beatitudinis formalis solius intellectus actu, qui clara Dei visio nuncupatur, fieri contendimus.

## XI.

Hinc immerito Schola subtilis ejusdem Essentiam in amorem beatificum refundit; quia hic ultimi finis assecutivus non est.

## XII.

Positio externa actus humani, ut est præcise executio interioris, nullam superaddit bonitatem, vel malitiam simpliciter talem, sed tantum eam, quæ ad retributionem vel præmii, vel pænæ accidentaliter confert incrementum.

## XIII.

Unde dari actus humanos in individuo indifferentes Scoto negamus.

## XIV.

#### XIV.

Videtur in super nobis certum: Loth filias suas Sodomitarum libidini offerentem ob metum sibi incussum, à peccato excusari non posse.

#### XV.

Sadducæis & Atheis Angelorum existentia invictis argumentis, etiam lumine, seu ratione naturali suaderi potest.

#### XVI.

Hi nobilissimi Spiritus defacto omnes specie inter se differunt; nec de absoluta Dei potentia duo, vel plures solo numero diversi produci queunt.

#### XVII.

Concludimus etiam: quod eorum omnium via tribus morulis completa fuerit, ita ut nullus in primo suæ creationis instanti, à recta agendi regula potentiam desciscendi habuerit.

O. A. M. D. GI.